Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Schediasma Ex Historia Patria Congestum De Mecklenburgensium A Gentilismo Ad Christianismum Conversione

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1708]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU ~~theol~~ phil. 18.Aug.1708
Aepinus, Frc. Alb.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785/phys_0001
DFG

Q. D. B. V.

SCHEDIASMA EX HISTORIA PATRIA CONGESTUM

De

MECKLENBURGENSIUM A GENTILISMO AD CHRISTIANISMUM CONVERSIONE,

Von der alten

Mecklenbürger Bekehrung

aus dem Heyden-zum Christen-thum/

Ampliſſ. Facult. Phil. benevolè conſentiente,

PRÆSIDE

VIRO

PRÆCELLENTISSIMO,

DN. M. FRANC. ALB. ÆPINO,

SS. THEOL. CAND. FULGIDISSIMO,

FAUTORE AC PRÆCEPTORE SUO COLENDISSIMO,

In Academiæ Patriæ Auditorio majori

Anno MDCC IIX. d. 18. Auguſti

Publicæ ventilationi ſubmittendum

ab

Autore Reſponſuro

JOH. HENR. Oldenburg/

Mecklenb. SS. Theol. & Phil. Stud.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliſſ. Sen. Typograph.

Universitäts-Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785/phys_0005

DFG

VIRIS

Summæ in Principem fidei
Magnorumque in Patriam meritorum,
Præ-Nobiliſſimis, Ampliſſimis atq; Excellentiſſimis

DOMINO

AUGUSTO VARENIO,

Sereniſſ. Ducis Mecklenburgici Regnantis Cameræ Conſiliario Fulgidiſſimo Graviſſimoq;

ut &

DOMINO

JOANNI ABRAHAMO DUVEN,

Ejusdem Sereniſſimi Ducis Conſiliario Aulæ ac Secretario Intimo Splendidiſſimo Fideliſſimoq;

Dominis, Mæcenatibus atque Patronis meis,
uti certiſſimis, ita omni ſubmiſſâ animi obſervantiâ
atque honore ætatem colendis ac
proſequendis,
Leve hoc Shediasma Hiſtoricum
Sacrum eſſe volut

Tantorum Nominum

Cultor Submiſſus & Obſervantiſſimus

JOH. HENR. Oldenburg.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785/phys_0006
DFG

Ad
Lectorem Benevolum
Præfatiuncula.



Issertationem hcic de Mecklenburgensium e Gentilismo ad Christianismum Conversione conspectui tuo, Lector Honoratissime, non sine studio, quod præfiscine tamen dixerim, atque labore collectam ex Patriæ nostræ Historiâ atque conscriptam fisto. In quâ quid præstitum sit, tuomet ipsi judicio esto commissum. Quod si enim non omnia, id quod ipse nullus unquam diffitebor, acu tetigerim, id non in sequiorem mihi partem imputatum iri, spero atque confido. Idque maxime, quia subsidia non adeo multa, ac ad aliam materiam tractandam invenire facile potuissem, heic mihi data fuere. Etenim, quâ Mecklenburgica Historia laborat, accuratorum Scriptorum penuria nemini non incognita penitus esse haud potest. Quam enim pauci, iidemque exigui non sunt, quos typis publicis exscriptos in illa libros obtinere datur? eosque etiam, ob vetustatem suam, adeo jam raros factos, ut vel prævalente multum pretio vix ac ne vix quidem comparari aut è possessorum redimi manibus queant. Et quanquam alii præterea nonnulli id operis aggressi fuerint, ut plenius descriptam nobis darent Mecklenburgicarum Rerum Historiam, eorum tamen opera in occulto latent, ut ne quidem oculis eadem usurpare liceat. Id quod de vastis Voluminibus Gemnitzianis, deque B. Dn. Redeckeri, Academiæ nostræ antea Anteecessoris Celeberrimi, & novissime Civitatis hujus Consulis Primarii, ut & de B. Dn. Jo. Casp. Brandes J. U. Cand. Collectaneis, fore aliorum etiam laboribus non inelaboratis dicendum, ac ut rectiùs dicam, conquerendum est. Hæc inter etiam referri debet in Dissertatione nonnunquam abs me allegatum Chronicon Rythmicum Kirchbergianum in Bibliotheca Ducali Suerini asservatum, de quo, quia vix aliud exemplar in conspectum concivium nostrorum unquam venit, aliqualem iis, prout eandem â Præcell. Præside meo, cui manibus ipsum terere paucaque nonnulla inde excerpere licuit; notitiam si fecero, non ingratum fore arbitror. Constat ipsum Volumine sat magnæ molis, pergamenis inscriptum, literis non adeo, ut eo tempore alioquin scribebatur, inconditis, partem etiam eleganti pictura ornatis inauratisque. Auctor Equitem Mecklenburgicum se prodit, inscripsitque librum Alberto, Duci Mecklenburgensium simulque Suecorum Regi An. 1378, quem adscripti hi versus indicant:

Daß dyt Buch so wart verhaben
Dütsch un latinischen Buchstaben
Umb Hertzogen Albrechtis bede gar
Das was du man screib tusend Jar
Dryhundert achte un sybenctzig vord
Also lange nach Godes Gebord.

Sed Helmoldo se sua pleraque debere, Auctor non diffitetur. Præter hunc etiam citatus est Casp. Calovius Chronico, oder erster Ankunfft und Herkommen der Hertzogen zu Meckelnburg/ und von andern J. F. G. denckwirdigen Geschichten; cui hoc quidquid est libelli, 6. plagulis constantis, saltem abs non omnibus, ipsoque Cel. Pi-

lyho-

lyhistore Dn. B. G. Struvio Bibl. Hist. Cap. XXIV. §. 1. adscribitur. Monendum verò videtur, non esse illum verum opusculi hujus Autorem, sed Andream potius Milium, cujus sat multi adduci testes possent, nisi instar omnium esset exemplar propriâ Milii manu exaratum, quod aliquando in manus meas incidens, præmisso voto, ita concludi abs Autore perspexi: Solches thue ich Andreas Milius J. F. G. semptlich/ als dero unterthenigerDiener von Hertzen wünschen. Geschrieben zu Schwerin den 18. May Anno 1571. Quia tamen Milianus labor in vita Ducis Caroli, Episcopatus Raceburgensis Administratoris finit, impressum autem Opusculum Johannis & Sigismundi Augusti vitas addidit, à Calovio tantisper illud auctum editumque autumo. Nihilominus sub nomine Calovii Scriptum istud allegare placuit, quoniam ejus nomen præ se fert, ut eò promtiùs evolvi ab iis, qui cupiunt, possit. Marschalci Thurii Chronicon Rythmicum itidem invenies adductum, quod an prelo subjectum unquam fuerit, indagare non potui. Titulus autem ejus totus hic est: Mecklenburgisch Chronicon Reimesweise/ Nicolai Marescalci Thurii. Dies Werck hält in sich V. Bücher/ das I. von den Könnigen der Obetriten und den Herren von Meckelnburg. Das II. die Herren von Werla oder Wenden. Das III. die Herren Kißiner oder von Rostock. Das IV. die Herren von Stargard. Das letzte die alten Wenden. Dedicatum est Opusculum Duci ac Dn. Henrico gl. m. quem ab initio Præfationis ita alloquitur, ut specimen & ejus temporis Poëseos videas:

Von Meckelnburg dem Edelen Stamm/
Wil ich von Anfange kunde/
Wie danne erst kam/ hier Haußunge nam/
Biß auff diese heutige Stunde;

O Edeler Fürst Herr HEINRICH gut/
Der Obetriten eine Ehre
Von lobsan Muth und Königlichem Blut
Mein Arbeit Euer Gnad zukehre &c.

Reliquos citatos Auctores Virorum, tum hujus tum aliorum in viciniâ locorum laudes meas superantium benevolæ communicationi debeo, quorum in me favorem & insignem humanitatem gratissima mente deprædicare non desinam. Hæc de Scriptoribus istis. Materiam verò seipsam satis commendantem memet tractasse reor, tum quia Patrias spectat res ac Prædecessores nostros, quorum memoria non potest non esse jucunda; tum quia in illa profunditatem divitiarum & Sapientiæ & cognitionis Dei, ac inscrutabilia ejus judicia, viasq; imperveſtigabiles cernere datur. Ipsam autem elaborationem quod attinet, potuisset ea interspersis variis Theologicis non minus, quam Politicis sive quæstionibus sive porismatibus ornari vel saltem augeri, nisi ab illis hac vice abstinendum fuisset, & historicè tantùm prima Religionis Christianæ in his terris plantandæ fata placuisset describere. Hæc autem cur prolixiùs tractata non sint, satis causæ §. XXV. datum videbis. Nec fieri id vel ideò poterat, quia non integer liber, ut alias debuisset, sed specimen duntaxat Studiorum meorum Dissertatione Academica erat edendum. Imo operæ me pretium feciſſe arbitror, quod, quæ diversos apud Scriptores sparsim leguntur, collecta in ordinem redegi, monstratis indice digito, ex quibus majori in mensura hauriri potest, fontibus. Quod si cuipiam, quis, quis fuerit, his plura addere pleniusque hanc Conversionis Historiam describere volupe erit, per me licebit. Quicunque autem errantem me meliora docuerint, eorum inde favorem æstimabo, maximi id beneficii loco mihi ducturus. Vale, Lector! ac ex voto felicissimè vive! Quod restat, gratias ago DEo meo, in quem confido, præstitâ hactenus Studiis meis mihique gratiâ, ut & in posterum eadem in Nominis sui gloriam proximique commodum cœlesti suâ benedictione coronet, humillime precatus,

§. I. Po

§. I.

POpulorum, qui terras Mecklenburgi nomine hodiè venientes â multis retrò seculis habitarunt, varia fuisse nomina, nemini, nisi in antiquiori Historia planè hospiti, ignotum esse potest. Vel soli id edocere possunt suis inscriptionibus terrarum harum Reges Principesve eorundemque, vel subjectorum illis populorum, res gestas describentes Historicorum Libri. Inde nimirum nunc Helmoldi prodiere Chronica Slavorum, nunc Crantzius Vandaliam edidit, iterum Marschalcus Thurius Annales contexuit Herulorum & Vandalorum; ut alia id genus Scripta reticeamus. Equidem de his omnibus ut ex instituto agamus, institutum nostrum, circuitione nos uti prohibens, haud permittere videtur. Ut tamen & modò dicti Scriptores eò meliùs intelligantur, & quâ de gente nostra loquatur opera eò clarius constet, ab initio statim, quinam nobis heic dicantur Mecklenburgenses, exponendum erit; id quod fieri vix rectius potest, quam si, tum quas communes cum aliis populis habuere, tum proprias ipsorum denominationes, quâ licet brevitate, consideraverimus. Sunt autem communia & extra terrarum harum etiam tractum illis imposita, quibus appellitantur, præcipua nomina, quando nunc Vandali, corruptè Vinduli, Vinuli; nunc Venedi, Winithi, Heneti, Wendi; nunc Slavi dicuntur. Propria sunt, cum alii, prout diversas inhabitavere regiones, Obotritæ, alii Tollenzi, alii Circipani, alii Kissini, alii Varni, Varini, Warnavi, alii Heneti κατ' ἐξοχὴν nominati sunt, quorum nunc omnium generalius Mecklenburgensium vel Megapolitanorum nomen est. Quibus, ob Historiæ connexionem & Wagrios præsertim Polabosque, nec non Ranos sive Rugianos addere habemus.

§. II.

Vandalos Germanicæ gentis fuisse populos, multis probari argumentis potest. Præter testimonium Plinii (a) inter Ger-

manorum genera Vindilos referentis, Tacitique (b) Germaniæ Vandalios annumerantis aliorumq; à Bangerto (c) adductorum, quibus & Kantzovium (d) addimus; idem eorummet lingua indicat, quâ cum Gotthis eâdem usi sunt. Testatur id Nicephorus, (e) cujus verba sunt: *Eâ* (scilicet Valentiniani Imperatoris) *tempestate plurimæ maximæque Gotthicæ gentes, in septentrionali parte ad Istrum passim dispersæ erant. Inter quas præcipuæ quatuor judicio ipsarum celebres fuere, Gotthi scilicet, Visse-Gotthi, Gepides, & Vandali, non aliâ re, quam nominibus solùs, inter se dissidentes. Omnes enim lingua una, & eodem vivendi instituto utebantur.* Quod si verò Nicephori, tanquam recentioris Scriptoris, quemque Historiam quisquiliis fabulisque intertextis vitiasse, ostensum à benè multis est, testimonium dubiæ forte fidei videbitur; testabitur idem Procopius, (f) cujus quanta hac in re sit autoritas, verbis indicabimus Hug: Grotii, (g) ita scribentis: *De Wandalis quid est quod quisquam hoc tempore afferre se putet posse exploratius, quam mille abhinc annis Procopius attulit, qui in Africa, cum Wandalis sæpissime est collocutus, præterea Gilimerem Wandalorum Regem, Proceresque Wandalos Constantinopolim perductos quotidianâ familiaritate cognovit? Credibilene est hominem, adeo omnia antiqua percunctandi cupidum, id vel non præcipuè quæsiviſſe, unde essent illi Hispaniæ Africæque insessores Wandali, aut Gilimerem & alios ejus gentis primores ex fama antiqua carminibusque perpetuâ memoriâ proditis nihil habuisse certi quod responderent? Is autem Procopius Wandalicorum primo Wandalos non minus quam Ostro-Gotthos, quam Vestro-Gotthos, quam Gepidas, populos esse dicit Gotthicos, nominibus distinctos, origine ac moribus congruentes; linguam præterea ipsis esse Gotthicam, neque se dubitare, quin olim una gens fuerint, ac ne temere id dixisse putetur, Gothicorum quarto rursum Gotthicis populis Wandalos accenset: eosque pariter cum Gotthis è patria sede ad Mæotidem paludem venisse memorat.* Unde rectissimè Crantzius (h) Orosium perstringit, quod ex Scythiâ primos deducere Wandalos fuerit conatus. Ceterum, unde Wandalorum nomen originem traxerit inquirere, parum referre potest. Sunt, qui ipsum â Wandalo, octavo Germanorum Rege, derivant, sicuti â Suevo, septimo Germanorum Rege, Suevi suam traxisse denominationem illis creduntur; cui etiam sententiæ Crantzius (i) videtur adstipulari. Aliis, sed fundamento destitutis, â Vanda quadam Sarmatarum Reginâ ori-

originationem nominis trahere apud Habichhorſtium (k) dicuntur. Alii à peregrinationibus, & quaſi vagabundos, wandelers vel wanderers/ a germanico verbo wandlen ſive wandern/ i. e. vagari, dictos arbitrantur. Ita Grotius (l) non credit, aut Wandalos aut Suevos gentis eſſe nomen, ſed Germanorum quosdam ratus eſt, non a ſe ipſis, ſed ab iis, qui primi eorum vim ſenſere, dictos modo Suevos, modo Wandalos. Utrâque enim voce eos ſignificari, qui non certis ſe tenent ſedibus, ſed nunc huc nunc illuc ambulant. Uti enim Wandali â wandlen ipſi dicuntur; ita procul dubio, licet de iis mentem ſuam non expreſſerit, Suevos a germanico verbo ſchweben vel Saxonice ſchweven dictos opinatus eſt. Unde & deinceps (m) ita concludit: *Non ergo quærendum nobis eſt, quam late patuerit Wandalorum appellatio: patere enim tam late potuit, quam ipſe vagandi alienaque occupandi mos.* Rejectâ autem & illâ, ſingularis eſt Hadr. Junii (n) apud Joh. Ang. â Werdenhagen (o) opinio, Vandalos à Daliis populis nuncupatos judicantis, quemadmodum in parte Scandiæ, hodie Norwegia, plures tum regiones, tum vici & oppidula, quibus inDAL deſinentia nomina ſunt, reperiuntur. Ex quibus ergo Vandalos fuiſſe egreſſos arbitratur. Quam tamen ſententiam Werdenhagenius & à re ipſâ & à fide hiſtoricâ longè alieniorem eſſe probavit. Sed ſuum cuilibet hac de re relictum judicium eſto.

[a] Lib. IV. Hiſt. Nat. Cap. XIV. (b) De Mor. & Pop. Germ. ab init. [c] Not. ad Helmold. Chron. Slav. Lib. I. Cap. II. (d) Chron. Pomer. MSC. Lib. I. (e) Lib. XIV. Hiſt. Eccl. Cap. LVI. [f] Hiſt. Gotthor. Lib. I. & IV. (g) Proleg. Hiſt. Gotth. Vandal. & Longobard. p. 23. (h) Lib. II. Vand. Cap. IV. (i) Loc. cit. Lib. I. Cap. I. [k] Diſput. de Terr. Mecklenb. & hinc fluent; Titulor; Ducal. Orig. Sect. I. membr. 3. §. 5. (l) loc. cit. p. 24. (m) loc. cit. p. 26. [n] Hiſtor. Batav. Cap XXI. (o) Part. III. de Rebuspubl. Hanſeat. Cap. IX.

§. III.

Id interim certum manet, Vandalorum nomen longe lateque diffuſum patuiſſe, ipſosque, ſi poſtremæ derivationi habenda fides eſt, nomini ſuo ſe convenienter geſſiſſe, huc illucque emigrando novas ſibi quæſitas ſedes occupantes, unde & aliis alia enata nomina ſunt, ſive ab ipſis, ubi tandem conſedere, locis, ſive à Ducibus ſuis, ſive aliunde mutuata, quibus, poſtquam peculiares ac à ceterorum diverſas Reſpublicas conſtituere, ab il-

lis distinguerentur. De reliquis heic dici non attinet: Herulorum autem, ita namque & Nostri appellari sueverant, mentio erit injicienda. Ortâ boream versus inundatione, harum terrarum incolæ in Scythiam commigravere, circa mæotidem paludem ex parte fluviumq; Tanaim, uti ex quamplurimis aliis enarrat Münsterus, (a) sedes ibidem sibi figentes habitaverunt. Iste vero, quem incoluerunt, tractus, cum paludosus admodum esset, nomen Herulorum sive Erulorum gentilitium illis periisse nonnullis creditur. Ita enim Jornandes: (b) *Prædicta gens (Ablavio Historico referente) juxta Mæotidas paludes habitans in locis stagnantibus, quas Graci Hele* (alii scribunt Eli, unde & populus Eruli, sine aspiratione; illis dicuntur) *vocant, Eruli nominati sunt.* Quam nominis derivationem repetit Joan. Magnus, (c) addens, factum esse, ut transpositis literis, pro Heleris Heruli dicerentur. Aliis ob corporis proceritatem hoc nominis præcipuè affectasse Heruli visi sunt, uti refert Latomus, (d) ex memoriæ forte lapsu Procopio tribuens verba, quæ apud Jornandem (e) ita concepta leguntur: *Sunt ex hù Ostrogothæ, Raumariæ, Raugnaricii, Finni mitissimi, Scanziæ cultoribus omnibus mitiores: nec non & pares eorum Vinoviloth, Suethidi, Cogeni in hac gente reliquis corpore eminentiores, quamvis & Dani ex eorum stirpe progressi, Erulos propriis sedibus expulerunt: qui inter omnes Scanziæ nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum.* Recte igitur utramque sententiam Jornandi quidem adscribit Wolffg Lazius; (f) non autem video, qui illum earum priorem in Libello de Temp. & Regn. Successione: posteriorem in Gothica Historia habere scripserit? cum utramque eam, ipsissimis Lazio allegatis verbis in cit. Jornandis eod. Libro de Getarum sive Gothorum origine & rebus gestis, ex recognitione Bon. Vulcanii Brugensis in Hist. Gothorum, Vandalorum, & Longobardorum abs Hug. Grotio partim versa, partim in ordinem digesta, legere quilibet possit. Ceterum, fuisse Herulos Pomeraniæ Terrarumque Mecklenburgensium incolas, & quidem eos ipsos, qui Weruli aliis dicuntur, W. literâ teutonicâ, ex duriori gentis aspiratione, adjectâ, Lazius (g) probat. Id quod magis apertum foret, si sententiæ Kanzovii (h) fidem tutò adscribere possemus, qui Herulos circa Helam prope Gedanum sedisse opinatus est,

inde-

indequè Hyrtos primùm, deinceps Herulos vocatos fuisse. Ast Kanzovius forsan non minus, quam Ablavius, sufficientibus destitutus testimoniis est.

(a) Cosmograph. pag. m. 1023. (b) De Getar. sive Gothor. orig. & reb. gest. p. 642. edit. Grot. (c) Lib. VI. Hist. Goth. Sveonumque Cap. *XXII.* (d) Genealo-Chron: Megapol. pt. I. de prima Vandalorum Migratione. (e) l. c. Cap. *III.* in fine. (f) De Gentium Migrat. Lib. *XII.* p. 621. (g) l. c. p. 632. 633. (h) Chron. Pom. MSC. Lib. *I.*

§. IV.

Sed ad Venedos sive Wendos, qui etiam Winithi, Veneti, Winedi, Venedæ, Heneti, audiunt; nosmet convertimus. Fuisse eos Sarmaticæ gentis circa sinum Venedicum, quem Finnicum hodie dicunt, per Russiam, Lithuaniam, Livoniam, terrasque adjacentes latè diffusæ, primam ac maximam partem Ptolomæus (a) testatus est. Tacitus, (b) Venedorum nationem Germanis an Sarmatis adscribat? dubitat. Latomus (c) Vandalorum partem eos fuisse vult, qui, considentibus circa Mæotidem paludem, ita ut terra non omnes caperet, multiplicatis, inde egressi Paphlagoniam petierint, Marschalco Thurio (d) teste; postea vero, cum per longum annorum tractum ibi habitassent, 1150. annos circiter ante Christi nativitatem expulsi iterum, mari Adriatico trajecto, Italiæ parte occupatâ, (unde Procopio (e) Venetorum ager, qui ab Istria Ravennam usque pertingit) Venetorum sibi sumserint nomen. Neque à Venedis Henetos diversos fuisse populos probat, cum, præterquam Æolos, Græci literam F. sive V. pronunciare haud valeant, hinc eos pro Venetis Henetos pronunciasse. *Eneti* autem, sunt verba Pauli Warnefridi, (f) *licet apud Latinos una littera addatur, græcè laudabiles dicuntur.* Aliter verò Grotius, (g) qui & Venedorum nomini Germanicam linguam præbuisse originem autumat, utut ipsam Gentem Germanis annumerare non ausit, cujus propria adducere verba juvabit: *Liceat & hoc addere*, scribentis, *non quod ad rem præsentem multum pertineat, sed quod lucem forte adferre possit controversiæ inter Cranzium Crommerumque agitatæ, non absurdum cogitatu etiam illos qui Tacito Venedi, Ptolomæo Venedæ, posterioribus Winidæ dicuntur, nomen habere ab eâdem vagandi*

 signi-

significatione; non quod hos quoque Germanici sanguinis esse velim, de que dubitavit Tacitus; exactior enim inquisitio Linguæ, morum, historiarumque denique indicio Sarmatas eos esse nos docuit: Sed quod, qui a rerum gloria Slavi sibi ipsis dicebantur, eos Germani Winidas dixerint, quod verissime tradidit Johannes Aventinus & ex Speculo Saxonico aliisque eo antiquioribus libris facile diligenti lectori perspicuum fiet, sicut & verbum Wenden *affinem cum* Wandlen *apud Germanos extrita litera l. habet intellectum: Atque hoc sensu eandem esse vocem Winithorum, Winulorum, Wandalorum sensit non male ignotus ille Chronici Slavorum Scriptor.*

(a) Lib. III. Geograph. Cap. V. (b) De Mor. Germ. in fin. (c) Loc. cit. (d) Lib. I. Annal. Her. & Vand. Cap. I. (e) Lib. I. Gothicæ Hist. p. 585. (f) Lib. II. de gestis Longobard. Cap. XIV. (g) Proleg. Hist. Goth. p. 26.

§. V.

Hosce Wendos abs nonnullis, ipsoque Crantzio, cum Vandalis perperam confundi, ostensum â bene multis est, è quibus nominasse Bangertum (a) plures longâ serie citantem sufficerit. Interim tamen, quamvis nec ipsemet Vandalos Wendosque confusos velim; vix sufficientes esse causas reor, cur non perpetuos harum terrarum inhabitatores Vandalorum nomine sint indigitandi. Rationibus id ipsum satis prægnantibus non paucis defendi posset, si modò institutum nostrum id esset permissurum: nunc vero brevitatis ergo ad autoritatem nostratis quondam Chytræi (b) provocamus ita scribentis: *Etsi autem de nomine Vandalorum quidam verè disputant, non recte illud his populis, quos Wendos aut Slavos vulgo vocamus assignari: Cum inter Germanicas gentes Tacitus & Plinius Lib. IV. Cap. XIV. Vandalos recenseat: & Procopius initio Belli Vandalici, quod Belisarius Justiniani Imp. auspiciis in Africa gessit, Vandalos Gothicam gentem, eadem cum Gothis (germanice locutos non dubium est) lingua usos fuisse, adsirmet: tamen cum vel à nominum affinitate (vicina enim interse se sono nomina sunt Wenden & Vandali) vel à sedibus iisdem, quod post migrationem Vandalorum in Gallias, Hispaniam & Africam; Heneti seu Wendi eorum terras possederunt (sicut post migrationem Bojorum ex Boëmia in Bavariam, nihilominus novi incolæ Zechi seu Slavi, veterum incolarum nomen retinent) hæc appellatio Henetis tum à multis aliis nostræ ætatis hominibus eruditis, tum vero ab Helmodo etiam, qui Chronica Slavorum ante quadringentos annos Lubecæ scripsit, tri-*

buatur

buatur: communem usum nominis Vandalici nos quoque retineamus. Quod autem Gemnitzius (c) Visilaum III. Genserici I. Vandalorum in Africa Regis Filium, XX. Obotritorum Regem, Seculi V. Anno 86. vitâ defunctum, ejusdemque posteros, ob Slavorum sive Wendorum in hasce terras immigrationem, non amplius titulum Regum Herulorum ac Vandalorum, sed Venetorum & Obotritarum usurpasse, scripsit, id non omni dubio carere mihi visum semper est. Nolo heic urgere illam Hexapoleos Vandalicæ denominationem, in hunc usque diem remanentem; quia forte dixeris, ita corruptè dici, cum potius urbes Venedicæ sive Wendicæ vocandæ essent, quemadmodum germanicè dicimus die 6. Wendischen Städte. Ast Vandalorum nomen, non obstantibus, qui huc advenere, Venetis, tum in usu permansisse nostris, neque Regio Titulo exterminatum fuisse, substituto Venetorum nomine, clarissimè docet epitaphium Pribislai II. Regum Terrarum harum ultimi, in Templo Dobberanensi legendum, cum hoc titulo: *Epitaphium Pribislai primi fundatoris hujus monasterii qui fuit filius Nicoloti Vagriorum, Circipanorum, Polaborum, Obotritarum, Kissinorum* Vandolorumq; *Regis Illustrissimi.* Quanquam autem Lindenbergius (d) huncce titulum talem exhibeat: *Pribislaus DEI gratia, Obetritarum, Kissinorum, Circipanorum* ac Slaviæ totius *Rex*; ut aliqua ejus mutatio facta videri possit; haud tamen quoad hoc, licet in aliis nonnullis; quidquam in eo immutatum esse, fidem facit Marschalci Thurii, (e) Scriptoris Lindenbergio multum antiquioris, testimonium, quando eundem in Sacello Dobberanensi, monstrante ædituo, ita se invenisse testatur: *Pribislaus, DEI gratia, Herulorum, Vagirorum, Circipœnorum, Polaborum, Obetritarum, Cissinorum,* Vandalorumque *Rex.* Hæc quomodo cum Gemnitzianis illis concilianda sint, alii videant. Id tantùm addo, hos ipsos Wendos sive Venedos esse, quos etiam Sclavos, item Slavos, Slavinos, Slavonos appellitant. De quibus ut plura dicamus, nil prorsus attinet, siquidē de nominis origine sollicitum informabit Cl. Dn. Frid. Thomas, (f) à Sarmatica voce Slava, famam seu gloriam denotante, ipsum derivans, non obstante, quod quilibet abjectissimi servorum & ultimæ sortis mancipia hodie fermè Sclavi nuncupentur, de qua sequiori significatione itidem erudi-

te

te differit. (g) Licet alii Slavos vel Sclavinos à verbositate, quod multa loqui nativum genti sit, denominatos esse asserant, ceu apud Crantzium (h) videre est.

(a) Not. ad Helmold. Chron. Slav. Lib. I. Cap. II. p. 10. (b) Saxon. Lib. I. p. m. 4. (c) Geneal. Duc. Meckl. Mscr. in Vit. Visilai III. (d) Lib. II. Chron. Rostoch. Cap. I. (e) Annal. Herul. & Vandal. Lib. II. Cap. XL. (f) Anal. Güstrov. Period. I. §. 6. (g) l. c. not. [β] (h) Lib. I. Vandal. Cap. IV. & VII.

§. VI.

Reliquas vetustiorum Mecklenburgensium easq; illis proprias denominationes lustraturus inter eas ferè eminere deprehendo Obotritarum vel, quo Crantzius (a) utitur, Obotritorum nomen. Græcam id esse vocem plerique volunt. ὤβη quippe Græcis tribum significat seu partem Populi; τρητὸς autem perforatus est. Unde Münsterus (b) scribit: Sie (die ersten Einwohner des gantzen Fürstenthums Meckelburg) seynd auch (wie bey den alten Chronick-Schreibern / und sünderlich den grossen Carlen Rom. Kayser zubefinden) Obotriten / welches ein Grichisch Wort ist / so viel als ein bundt Schare oder Rotte geheissen. Et Marschalcus Thurius (c) Anthyrium Regem dicit electum *à suis, Obetritis seu de vestium, sive armorum varietate ac munditie, ut erat mos sub Alexandro militantibus, cognominatis.* Quibus adstipulatur Lindenbergius, (d) asserens, vocatos esse Obetritas *à vario in vestibus colore, quo usi sunt, cum ex regione Scythicâ, unà cum Anthyrio, variegati & versicolores domum redirent.* Non equidem isti de Anthyrio narrationi omnem denegamus fidem, quanquam contra eandem nonnulla pugnare argumenta videantur, à B. D. Habichhorstio (e) collecta, in Borrichii (f) de eâdem judicio acquiescentes; interim tamen probabilitatis non minoris est alia, utut ea pauciſſimorum, sententia, populum hunc Obdoritas vel Abderitas vocatos primitus fuisse, asseverans. Orginem vocis Latomus (g) ita indicat: Cum anno ante Christum natum 478. Xerxes potentissimus Persarum Rex stupendo copiarum numero universam Græciam sub suam redigere potestatem aggrederetur, tum Heruli Asiatici & præsertim Paphlagoniam inhabitantes, metu peregrini jugi in Thraciam secedentes, in utbe maritima Abdera vel Obdera sede fixa, ab eâdem Abdoritæ vel Obdoritæ nuncupati sunt; qui, postquam sub Alexandro

dro M. militarant, orto inter Duces post mortem ejus dissidio, sub Præfecto ac Principe suo Anthyrio, eorum, quæ olim à Majoribus suis de terris, ex quibus commigrassent, enarrata inaudiverat, recordato, ad hasce rursus oras navigiis perducti sunt; ceu ab eodem pariter atque Marschalco Thurio (h) latius hæc describuntur. Qua autem ex derivatione Meibomius (i) eos Abodritos, Adamusque Bremensis (k) Reregos vocitent, ignorare memet confiteor. Illud vero constat, fuisse olim Obotritas specialiter nominatos, qui Ducatum Mecklenburgicum hodie stricte dictum & Comitatum Suerinensem habitavere, uti apud Joh. Ang. à Werdenhagen (l) videre est.

(a) Vand. Lib. II. passim (b) Lib. III. Cosmograph. p. m. 1123. (c) Lib. II. Annal. Herulorum & Vand. Cap. I. [d] Chron. Rost. Lib. I. Cap. III. (e) Dissert. de Terr. Meckl. & Tit. Ducal. orig. membr. II. §. I. (f) Not. ad Masii Antiqv. Mecklenb. Cap. IV. §. 8. n. 6. [g] Genealo-Chron. Megap. *MSC.* de 4ta Vandalorum migrat. [h] l. c. [i] *Hist.* Bardevvici Tom. III. Rer. Germ. p. 59. [K] Lib. II. Hist. Eccles. Cap. X. Lib. III. Cap. XXII. [l] Part. III. de Rebuspubl. Hanseat. Cap. IX.

§. VII.

Supersunt Tollenzorum, Circipanorum, Kissinorum, Varinorum seu Warnavorum, & Henetorum stricte dictorum nomina. Ubi Tollenzi, Adamo Bremensi (a) Tholosantes dicti, fuere, qui circa lacum, dictum die Tollense vel Tollen-See/a quo mœnia Neo-Brandenburgi, non ignobilis Stargardiensis Dynastiæ civitatis, alluuntur. Forte iidem Tollenzi, vel saltem pars eorum fuerunt, qui alias Riaduri, Redarii vel Retharii, ab urbe antiqua Rethre, denominantur. Etiamsi enim quo loco sita fuerit urbs Rethre, mirè dissentiant Historici nostri, aliis Rhenam, aliis Röbelam, aliis Malchoviam, aliis Malchinum hoc nominis olim gessisse, existimantibus; haud tamen improbabilis est Latomi (b) conjectura, locum Rethræ fuisse, ubi nunc Prillevitzium, nobile Feudum Mecklenburgense, haud procul à Neo-Brandenburgo, conspici datur. Idque probat, partim quia non multum à dicto lacu distat; partim quia Rethra funditus eversa legitur, id quod memoratis oppidis haud convenit. Quas procul dubio ob causas etiam Lindenbergius (c) Rhetam seu Retren ditionis quondam Stargardiæ urbem eximiam vocat. Saltem Hel-

moldus (d) Riaduros etiam Tollenzos vocasse deprehenditur. Quandoquidem autē Tollensius fluvius in Pomeraniam usq; progressus prope Demminum cum Pano ac Reckenitzio fluviis conjungitur, certissimum est, non Mecklenburgenses solum, sed & Pomeranorum partem Tollenzos & Retharios fuisse. Circipani dicuntur, qui circa Panim amnem sedere, non Wolgastenses, Sundenses & Demminenses solùm, tanquam Pomerani, quos numerat Bangertus; (e) sed & in Mecklenburgico tractu Malchinenses. Kissini, Chizzini Adamo Bremensi (f) dicti, non sunt Gutzkovienses & Gryphiswaldenses, ut iterum Bangertus (g) vult; sed Rostochienses, siquidem ex dirutæ vicinæ, ubi nunc ejusdem nominis pagus vix uno miliaris quadrante abhinc distans, urbis Kissini ruderibus Rostochium exstructum, Crantzio, (h) (in terra Kissinorum oppidum Rostochium situm, diserte asserente,) & Lindenbergio (i) attestantibus. Varini sive Warnavi ii sunt populi, qui ad Varnum amnem sederunt, ut Sternebergenses, Bützovienses, Swanenses & reliqui. Heneti ἀπ' ἐξοχὴν vocari soliti sunt Güstrovienses, Kracovienses, Plavienses, Warenses, Parchimenses, cæterique Eldenavienses. Quoniam verò sub Regibus olim nostris etiam fuerunt Polabi ac Wagrii, ut in conversione Mecklenburgensium describenda ab iisdem abstineri vix ac ne vix quidem queat; observamus Wagiros sive Wagrios Lubecenses & Holsatiæ hodiernæ partem; Polabos verò seu Polabingos, uti Adamus Bremensis (k) vocat, fuisse Ratzeburgenses, quorum vel ideo meminisse nos oportebit, quia hodie iterum, Episcopatus olim, nunc Principatus Ratzeburgensis Sereniss. Mecklenburgensium Ducum ditioni ac potestati subjacet, in quam quomodo rursus pervenerit, notum ex Instrumento Pacis Osnabrugensis (l) cuilibet est. Addimus denique & Ranos, Rugiæ insulæ incolas, quorum cum conversione etiam Nostrorum aliquid connexionis habet.

(a) Hist. Eccles. Lib. II. Cap. X. (b) in Geneal-Chron. Meg. Art. II. Epoch. I. [c] Lib. I. Chron. Rost. Cap. VIII. (d) Lib. I. Chron. Slav. Cap. *XXI.* & alibi passim. [e] Not. ad Helm. Chron. Slav. Lib. I. Cap. II. p. 11. (f) l. c. (g) l. c. (h) Lib. V. Vand. Cap. VIII. (i) l. c. Cap. VI. (k) loc. cit. (l) Art. *XII.* §. 1.

§. VIII.

Et ex hiſce hactenus dictis jam ſatis nunc patere arbitror; quorumnam populorum converſionis ad Chriſtianiſmum deſcripturi Hiſtoriam ſimus. Non enim de Mecklenburgenſibus ſtrictè dictis duntaxat opera noſtra loquetur; ſed in ampliori ſumtis ſignificatione, quemadmodum uſus loquendi hodiè fert, ut totus ille Terrarum dictarum omnium tractus Mecklenburgi vel Ducatus Mecklenburgici nomine veniat, ſicuti & Serenisſ. Duces Mecklenburgenſes ſimpliciter dicimus. Comprehenduntur itaque ſub Mecklenburgi nomine, quas Titulus Ducalis hodie indicat, terræ omnes, utpote Ducatus Mecklenburgicus κατ' ἐξοχὴν dictus, Principatus Henetus, Principatus Swerinenſis, Principatus Ratzeburgenſis, Comitatus Swerinenſis, Dominium Roſtochienſe, & Stargardienſis Dynaſtia. In quibus qui habitavere olim, heic nobis dicuntur Mecklenburgenſes.

§. IX.

Quorum de converſione ad Chriſtianiſmum dicturis nobis ad tempora prægreſſa retroſpiciendum erit, quibus nefanda hos inter Populos viguit idololatria, quæ terminus à quo eſt hujus converſionis, ſi loqui cum Philoſophis licet. Obſervandum autem venit, Gentiles ferme omnes, ſaltem emunctioris naris qui fuere, ſive ex traditione perpetuâ ſive ex natura rerum, agnoviſſe, quidni enim ita agnoſcere potuiſſent? unum DEUM ſupremum, Deorum hominumque Patrem, qui univerſam aſpectabilis hujus mundi machinam condiderit, eique alios deinceps adjunxiſſe Deaſtros. Iſte Princeps illis erat Deorum, hi miniſtri ſupremi illius DEI. Iſte ſummus illis erat DEUS, hi Dii minores & inferiores. Principi autem Deorum Deos adjungere miniſtros fas eſſe rati ſunt, id procul dubio propter, quod curam mundanorum, præſertim ſublunarium, ei moleſtam ſuſpicabantur, qualis Gentilium de DEO opinio apud Plinium (a) & Plutarchum (b) legitur. Non autem multitudinem Deorum unum illum, verum, naturalem & ſupremum DEUM inter Gentiles ſuſtuliſſe ipſorummet ex doctrinâ Voſſius (c) abundè probavit, ubi inter alia Maximi adducit verba ad Auguſtinum ita ſcribentis: *Equidem unum eſſe DEUM ſummum atque magnificum,*

quis tam demens, tam mente captus, neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium ignoremus. Nam DEUS omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit, ut dum ejus quasi quædam membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profecto videamur. Neque Gentilium solum, sed Christianorum etiam Ecclesiæ Patrum de eo testimonia invenire ibidem licet. Et hoc si de vetustioribus quoque Mecklenburgicarum terrarum inhabitatoribus assereremus, haud quidquam à veritate alienum nos dicturos arbitramur. Fidem asserto facit Crantzius, (d) qui, postquam de variis Wandalorum idolis erat locutus, addit: *Inter multiformia vero Deorum numina, quibus arva, sylvas, tristitias, atque voluptates attribuunt, non diffitentur unum DEUM in cœlis, ceteris imperitantem: Illumque præpotentem cœlestia tantum curare: Hos vero distributis officiis obsequentes de ejus sanguine processisse: & unumquemque eò præstantiorem, quò proximiorem illi Deorum DEO;* quæ totidem verbis, ut multa alia, ex Helmoldo (e) exscripsit. Hocce, quod de Wandalis vel Slavis in universum Helmoldus Crantziusque, id prorsus idem Latomus (f) specialissimè de Mecklenburgensibus nostris affirmat. Nec minus Marschalcus Thurius, (g) ita pro temporis ratione canens:

Der Obetriten Sitten was dar/
Die Abgötter ehreten sie alle für-war
Doch beten sie nicht an wie GOtt/
Um Fürbitt / sie rieffen sonder Spott

Zu ihnen/bey dem Schepffer gleich/
Der gemachet Himmel und Erdreich/
Welchem menschliche Sorge kümmert nicht/
So was ihr Gemüthe zu ihnen verpflicht.

Quandoquidem etiam alia in rebus bona, alia evenire mala cernebant, inde duplicem statuebant DEUM, prosperæ fortunæ alterum, alterum adversæ auctorem habitum, quorum istum Belboch suâ lingua, quod interpretantur album DEUM; hunc Zcerneboch, i. e. nigrum DEUM appellabant, ut adeò in Gentilismo Manichæismum videre licuerit. Ast hîc de Manichæorum errore differere cum non attineat, consuli, si volupe est, possunt Socrates, (h) Epiphanius, (i) & ex recentioribus prolixè Kortholtus; (k) de Belbocho autem Zcernebochoque ac præstito illis cultu Helmoldus, (l) Crantzius (m) atque Schedius (n) vide-

videantur. Ubi tamen reticendum non est; utut Zcernebockio cultum exhibuerint quendam, non tamen eum veri DEI loco cultum fuisse; Borrichio (o) rectissimè observante; sed tantùm ut non noceret.

(a) Lib. II. Hist. Nat. Cap. VII. (b) Lib. I. de Placit. Phil. Cap. VII. [c] Lib. I. de Orig. & Progr. Idololat: Cap. II. [d] Lib. IV. Vand. Cap. XXIII. [e] Lib. I. Chron. Slav. Cap. LXXXIII. (f) Genealo - Chron. Megapol. MSC. Art. I. Epoch. IV. (g) Mecklenb. Chron. Reimesweise MSC. Lib. I. Cap. VI. (h) Lib. I. Hist. Eccl. Cap. XXII. (i) Hæres. LXVI. (k) Hist. Eccles. Sec. III. Sect. V. §. 2. seqq. (l) Lib. I. Chron. Slav. Cap. LIII. (m) Lib. III. Vand. Cap. XXXVII. [n] de Diis Germ. Syngr. IV. Cap. XIII. (o) Not. ad Masii Antiqu. Mecklenb. Cap. II. §. 3. lit. b.

§. X

Minores verò Deos, supremi illius, quos fingebant ministros, quibus veneratio non levis: non quidem qualis supremo DEO, sed qui præcipuis ejus Ministris conveniret; adhibebatur, quod attinet; eorum numerus innumerus fermè fuit, uti apud Gentiles penè omnes, quorum si vel nomina duntaxat nominare vellem, vix tempus sufficeret, bonaque iisdem chartæ pars foret impendenda. Ignotum quippe esse nemini potest; rebus, quæ insigniter juvare possunt, ferè omnibus & Dei nomen impositum, & venerationem ac cultum tributum â Gentilibus fuisse, ut Eduard. Herbert. de Cherbury (a) verè docet. Erit igitur, ut de nobilioribus tantùm Mecklenburgensium Deastris dicamus, quantum præsenti instituto conveniens erit. Ubi, communes Germanorum Deos, erant quippe quoad primam originem & ipsi Germani, id quod Chytræo (b) dubio carere dicitur; eosdem coluisse, cur dubitemus, causæ nihil est. Germanorum autem inter Deos eminet Deus Theut, quem etiam Thoyth, Thoit, Thouth, Thoth, Auctores diversi scribunt, ceu apud Vossium (c) cernere licet. Reddi quidem eum â Romanis Mercurium Schedius (d) indicat; perperam autem istud fieri laudatus Vossius (e) demonstravit. Plura quidem heic de eo dici, inque ejus cultus originem inquiri, nostro proposito parum conducet. Fuisse autem & illum â Patriæ nostræ incolis olim pro Deo habitum, testatur Münsterus: (f) Ihre Abgötter und Heiligen in denselbigen und volgenden Zeiten/seynd gewesen erstlichen

der Teutanes / welches nach etlicher Bericht der Mercurius seyn soll / demselben haben sie Menschen geopffert / und damit hoch geehret. Et Marschalcus etiam Thurius, (g) *Teutanem*, scribit, *Heruli antiquitus haud dubiè supra Germanos cæteros coluere.* Accedit & Lindenbergius: (h) *Multos & varios Megapolitani coluerunt Deos, nempe Teutonem cui humanas obtulerunt carnes.* Dicerem de pluribus id genus communibus Diis, nisi circuitione uti prohiberer, & ad selectos nostrorum olim Deos progrediendum esset.

(a) Lib. de Relig. Gentil. Errorumque apud eos causis Cap. II. (b) Lib. I. Saxon. p. 4. (c) Lib. I. de Orig. & Progr. Idolol. Cap. XXXVII. (d) de Diis Germ. Syngr. I. Cap. V. (e) Lib. II. Cap. XIII. (f) Cosmogr. Lib. III. p. m. 1123. (g) Lib. I. Ann. Her. & Vand. Cap. VII. (h) Lib. I. Chron. Rostoch. Cap. III.

§. XI.

Sed & horum alios deprehendo Slavis pluribus communes, quos inter primo ponendus loco est Svantevitus, vel si mavis, Svantevitzius, qui, dicente Helmoldo, (a) *inter omnia numina Slavorum primatum obtinuit.* Fanum ejus in Arconâ erat, urbe quondam celebratissimâ, Rugiæque insulæ metropoli, â Cramero (b) ac Micrælio (c) descripta. Imaginem idoli Saxo Grammaticus, (d) & ex eo Schedius (e) depinxit. Sed apud ipsum Saxonem eandem contemplari placet, cujus verba sunt: *Ingens in æde simulacrum omnem humani corporis habitum granditate transcendens, quatuor capitibus, totidemque cervicibus mirandum perstabat, e quibus duo pectus, totidemque tergum respicere videbantur. Ceterum tam ante quam retro collocatorum unum dextrorsum, alterum lævorsum contemplationem dirigere videbatur. Corrasa barba, crines attonsi figurabantur, ut artificis industriam Rugianorum ritum in cultu capitum æmulatam putares. In dextra cornu vario metalli genere excultum gestabat, quod Sacerdos Sacrorum ejus peritus, annuatim mero perfundere consueverat, ex ipso liquoris habitu sequentis anni copias prospecturus. Læva arcum reflexo in latus brachio figurabat. Tunica, ad tibias prominens fingebatur, quæ ex diversa ligni materia creata, tam arcano nexu genibus jungebantur, ut compaginis locus non nisi curiosiori contemplatione deprehendi potuerit. Pedes humo contigui cernebantur, eorum basi intra solum latente. Haud procul frenum ac sella simulacri, complurag; divinitatis insignia visebantur. Quorum admirationem conspicuæ granditatis ensis augebat, cujus vaginam ac capulum præter excellentem calaturæ decorem, exterior argenti species*

tom-

commendabat. Quibus plane similia Cramerus (f) etiam refert. De cultu publico idolo huic exhibito legere, cui volupe est, potest Saxonem Grammaticum, (g) Lindenbrochium, (h) Cramerum (i) Schedium, (k) Nerreterum, (l) alios. Unde & quâ occasione id sibi finxerint idoli Rugiani aliique cum illis populi confines, ita ferè referunt. Egressi ex monasterio suo Monachi Corbejenses, Slavis Evangelium prædicaturi, ad Rugianos pervenere, cumque omnem penè insulam ad fidem Christianam perduxissent, templum erexere in honorem Christi Sanctique Viti commmemorationem. Non autem multo post Rugiani ad pristinam relapsi idololatriam Sanctum Vitum venerati pro Deo sunt, in Suantovitum conversum. Ita Helmoldus, (m) Crantzius, (n) Ernest. von Kirchberg/ (o) Kantzovius, (p) Schedius, (q) Micrælius, (r) & qui non? enarrare rem solent. Et lubens hoc illis credit Cl. Dn. Jo. Georg. Eccardus, (s) in vocum derivationes plusquam curiosè inquirens, quia *Swiety* Slavis *sanctum* denotat, & Polonis h. l. litera E. ut eng vel æng pronunciatur.

(a) Lib. II. Chr. Slav. Cap. *XII.* (b) Pomm. Kirchen Chron. Lib. I. Cap. XLVII. (c) Lib. II. des alten Pommer-Landes §. 17. (d) Lib. XIV. Hist. Dan. in vit. Waldem. I. p. 320. (e) De Dis Germ. Syngr. IV. Cap. XII. (f) l. c. Cap. XLVIII. (g) l. c. (h) in vita Car. M. f. 77. b. (i) l. c. Cap. 48. [k] l. c. (l) Juden und Heyden Tempel/ V. Abtheilung ad Quæst. 3. §. 8. (m) l. c. (n) Lib. II. Cap. *XXV.* (o) Chron. Mecklenb. Rythm. msc. Cap. VI. (p) Chron. Pom. msc. Lib. I. sub tit. Von den Wenden und Slaven (q) l. c. (r) l. c. §. 27. (s) Dissert. Inaug. de Usu & præstant. Studii Etymolog. in Histor. §. 2.

§. XII.

Ast hanecce narrationem non quidem omnem in dubium trahere præsumo, cum, Corbejenses Monachos Rugiæ insulæ incolis Christianam persuasisse fidem, sufficienter probaverit Georg. Christoph. Gebhardi; (a) attamen Rugianos, cum postea temporis â Christianismo rursus defecere, ex Sancto Vito, singulari adeo metamorphosi, idolum confeciisse, admodum dubiæ mihi fidei habetur. Taceo jam ipsum Helmoldum, (b) cui tamen ceteri omnes hæcce haud dubiè debent, tenuem ea famam commemorare confitentem. Quæ vero famæ tenuitas eo plus successu temporis credulitatis invenit, quo major inter voces Svantevit & Saucte Viet/ ut germanice pronunciant, videtur esse convenientiæ. Vix autem ac ne vix quidem persuadere

dere mihi possum, Gentiles repudiati & tam odiosâ, ut infra dicetur, ex causâ abjecti a se Christianismi manere vestigia, passos fuisse; quin potius judicandi sint omnem, ut Christi, sic & S. Viti memoriam voluisse penitus abolitam. Svantevitum jam ante S. Viti ætatem, i. e. antequam Rugianis innotuerat, viguisse, Celeb. Dn. D. Masius (c) asserit, id quod nec nobis videtur improbabile. Et vel inde illud colligitur, quod Historicorum, primam hanc notabilem Rugiæ conversionem commemorantium, quantum recordari possum, nullus cujuspiam alius idoli, quod ante id temporis venerati fuissent, meminit. Quod si vero hoc argumenti parum probare videbitur, aliud ex Johan. Frischio (d) iisdem ipsius verbis sequens dabimus: Dasjenige was sich etwann ümbs Jahr 1130. begeben/ gibt Handgreifflich zuerkennen/ daß Schwantowit aus Viten nicht geschmiedet sey/ denn ümb solche Zeit predigte den Rügianern St. Vicelinus nemlich von Anno 1119. biß 1149. da er zum Bischoff zu Aldenburg erwehlet: sothaner Predigt aber nach damahliger Mode Nachdruck zugeben/ rüstete König Erich zugenambt Hasenfuß oder Esmund eine Flotte wieder Rügen aus/ und belagerte Arcon die Haupt-Stadt/ die denn/ weil sie keinen Succurs sahe/ sich ergabe auff Condition, das Christenthumb/ und S. Viet zum Patron anzunehmen/ welches sie eingegangen/ aber so bald die Dänen aus dem Lande/ ihren GOtt Schwantewitt/ nach wie vor geehret haben. Wann man nun vorhero schon die Probe gehabt/ wie schlechten Nutzen Viet geschaffet/ so würde man ohn zweiffel denselben nicht von neuen den Rügianern auffgebürdet haben. Accedit expeditionis hujus Ericianæ exitum referens SaxoGrammaticus, (e) simulacrum Rugianorum falsò S. Viti vocabulo insignitum pronuncians. Ulterius & hoc cumprimis ob servandum venit, quod ipsum Svanteviti nomen origine Slavonicum esse videatur, id quod ex Emsero, rejectâ illâ Svanteviti de S. Vito denominatione, non insufficienter Erp. Lindenbrochius (f) probat, cujus integra hæc sunt verba: Emserus legtdiesen Nahmen in der Slavischen Sprach aus/ und sagt zwar auch/ Swante (vel juxta Eccardum Swiety) sey so viel/ als Sanctus Heilig/ Witz so viel als lumen, wie denn solches nicht unglaublich/ weil sonsten solcher Wendischen Nahmen sehr viel/ so auff das Witz ausgehen/ als Carl-Witz/ Caroli

roli lumen; Hug-Witz/ so viel als Hugonis lumen, Wolck-Witz/ Volconis oder Volkardi lumen, Gorse-Witz/ Gregorii lumen, Zerne-Witz/ Nigrum lumen, Bel-Witz/ album lumen, Stare-Witz/ Vetus lumen, Jane-Witz/ Jani lumen, Dober-Witz/ Bonum lumen, Schla-Witz/ Glorioſum lumen. Quanquam ipſemet deinde addat, vocem Witz juxta Albinum denotare Slavonicè fundum, einen Grund; priorem tamen ſententiam omnino præferendam eſſe cum illo arbitramur, ut Svantevitus Deaſter Sanctum fuerit Lumen. Uti enim omnes apud Gentes, Voſſio (f) ac Eduardo B. Herbert. de Cherbury (g) demonſtrantibus, ſolis ignisque viguit cultus, de cujus idololatriæ vetuſtate ac origine cauſisve itidem Voſſius (h) eruditè diſſerit; ita & Rugianis ſolem fuiſſe Deum, perſvaſus firmiter ſum. Stante nimirum, Vandalos, primos hujus terrarum tractus incolas, Germanos; Slavos vero ſive Wendos, Sarmaticum Populum fuiſſe: nil quidquam cauſæ eſt, cur id aſſerere ambigerem, Voſſio, (i) Gentes tam Germanicas, quam Sarmaticas, haud ſecus ac alias, ſolem maximè veneratas, donec Chriſto nomen darent, ex Annalibus illarum nationum & iis, qui reliquere nobis vitas Sanctorum, à quibus Gentes hæ primum converſæ fuerunt, diſertè atteſtante. Ecquis igitur non conjecerit, Svantevitum Sanctam lucem ſive ſolem Rugianis denotaſſe, cujus quatuor capitum vultus in ſingulas mundi plagas cardinales directi forte curſum ſolis per totum univerſum, & illuminationem ejus ac influxum in omnia inferiora adumbrare debuerunt. An & cornu Svanteviti, ex quo annonam ubertatemve proventus fructuum inſequentis anni divinare ſupremus Sacerdotum ſolebat, cum ſolis in hæc inferiora fructuumque productionem influxus efficaciâ quidquam habuerit convenientiæ? aliorum commiſſum judicio eſto. Sed qui idolo huic alebatur, albus equus, tantum abeſt ut à conſueto aliis populis ſolis cultu fuerit alienus, ut potius, quia candidus ipſe ſol eſt, album ei ſacrificari equum, Voſſio (k) iterum probante, in uſu fuerit. Præter hæc, etiam ex eo in ſententiâ meâ confirmor, quod plura deprehenduntur Slavorum idola, quorum nomina eandem habuere terminationem, ut Rugevitus, Porevitus, de quibus videndi Crantzius, (l) Saxo Grammaticus, (m) Cramerus, (n) Micrælius, (o) Nerreterus (p) aliique. Num verò & iſtos à S. Vito Martyre denomina-

minatos dicemus? Sed suam cuique servare opinionem per nos licebit, non minùs ac nobis nostris indulgendi conjecturis licentiam postulamus. Id verò adhuc notandum duco, quod, licet Rugia Jnsula præcipuam Svantevito sedem præbuerit; tamen & Mecklenburgenses eummet venerati fuerint. Non solus enim Trog. Arnkielius (q) confidenter scribit: Diesem Abgott haben alle Wendische Völcker Contribution und Opffer jährlich bringen müssen; Sed & Helmoldus (r) ita de Svanteviti sede loquitur: *De omnibus quoque provinciis Slavorum illic responsa petuntur, & sacrificiorum exhibentur annuæ solutiones.* Refert quoque Cramerus (s) in thesauro Svantevito votorum nomine consecrato repertam fuisse ex puro confectam auro pateram, quam Mistevojus Obotritarum sive Mecklenburgensium Rex eidem sacrificarat. Ex quo, quantum huicce idolo nostri tum venerationis exhibuerint, facillimo à quovis negotio advertitur.

(a) Disp. quâ probat. Corbejam fuisse Matrem primæ Eccles. Christ. in Rugia hab. Gryph. anno 1693. m. mart. (b) Lib. 2. Chron. Slav. Cap. 12. (c) Antiqu. Mecklenb. Cap. II. §. 1. (d) Erbauliche Ruhe-Stunden XLIX. Unterred. (e) Chron. Caroli M. f. 77. (f) Libr. II. de Orig. & Progr. idololatr. Cap. IV, V, VII, VIII, IX, XII, usque ad XVIII. (g) de Relig. Gentil. Cap. IV. (h) l. c. Cap. III. (i) l. c. Cap. XVII. [k] l. c. Cap. IX. in fine. (l) Lib. v. Vand. Cap. XV. (m) Lib. XIV. Hist. Dan. (n) Pomm. Kirchen-Chron. Libr. I. Cap. XLVIII. (o) im alten Pommerlande Lib. I. §. 18. Lib. II. §. 82. (p) Juden- und Heyden-Tempel V. Abtheilung ad Quæst. III §. 9. [q] Cimbrische Heyden-Religion Cap. XXVI. [r] Chron. Slav. Lib. I. Cap. VI. [s] l. c.

§. XIII.

Proprium Mecklenburgensium, & cum primis Obotritarum ac Rethariorum idolum Radegastus fuit, quem & Radagastum, Radigastum, Radagaisum, Ridegastum & Redegastum alii aliique vocitant. De quo Helmoldus: (a) *Radigast Deus terræ Obotritorum.* Unde originem traxerit id nominis, utrum ex Græciâ, an ex Vandaliâ ipsâ? quæque ejusdem genuina sit significatio? follicitè inquirere nolumus, cum de his egerit prolixè Celeb. Dn. Masius, (b) nisi quod addendum putemus, Lindenbergio (c) Rhadegastum dici Rhetorum Spiritum, quasi vox Gast vandalicè sonet Spiritum, einen Geist. Tangenda vero etiam est nova plane laudati Dn. Eccardi (*) sententia, Radegast, non Dei, ut ante eum perperam, sic enim loquitur, tradiderunt tantùm non omnes; sed loci vel luci sacri nomen esse, existimantis: ut *Radegastus* ipsi idem sit ac *Redariorum*, vel *Rethræ urbis lucus. Idq;* tùm ex voce

ce Slavicâ *gosd*, quæ sylvam Diis sacram seu lucum denotat, derivatâ â Polonico gesty, i. e. densus; tum quod Venedis, Slavis gente, cum Heröe Germanicæ nationis, Radegasto Rege, nihil rei fuerit; tum ex oppidi Wolgast, vicique Mecklenburgensis Radegast nomine, probat. De quibus omnibus nunc quidem non prolixè disputabimus; non tamen tanti hæ sunt rationes, ut communem linquere sententiam nos cogant. Quid enim pagus iste Radegast cum Rethræ urbis luco? quam vicinam sibi habuit nunquam. Nec ipsemet Radegastum idolum, â Vandalorum Rege derivo, ut mox videbitur; an autem improbabile est, Slavos, post notabilem illam Vandalorum emigrationem hasce terras colere cupientes, ut residuis adhuc Vandalis hospites essent eò acceptiores, communia, cum illis coluisse numina, sicque Radegasti etiam inter Slavos cultum cœpisse? licet etiam novos in hac terrâ illis, quos invenere, Deastros superinduxerint, qui successu temporis & Vandalis culti, ut communia tandem Vandalis, primis tractus hujus incolis, & Wendis sive Slavis, advenis, idola fuerint quam plurima. Et esto, vocem Slavonicam *gosd* significare lucum; haud tamen prona est apertave consequentia â Radegast ad Redariorum lucum. Nam & Gadebuschum flumen præterfluit, Radegasti nomen gerens, multum autem inter lucum & fluvium interest differentiæ, quantum inter aquam & lignum esse solet. Allegata Ditmari Merseburgensis autoritas non minus rem conficere non videtur, cum urbs Riedegast sit ipsa Rethre, & Luarasici idolum vel falsò pro Principe Deorum, quos Rethræ templum inclusit, habeatur, vel idem haberi cum Radegasto debeat, quod demonstraturus nonnemo est, Vir antiquitatum harum nostrique amantissimus. Pluris itaque facimus Adami Bremensis, & non *ante*, sed *post* eum, Helmoldi (quod forte sphalma typographicum est, cum iste XI. hic XII. Seculi Scriptor exstitit) testimonium, Radegastum non sacram sylvam, sed ipsum idolum, ipsum Deastrum esse. Cujus in natales qui paulo penitiùs inquiramus, è re erit. Eos ei dedisse cõmuniter ferme perhibetur Rex Vandalorum XIV, Radagastus, Wicislai Regis Filius. Hic, jmperii Rom. habenas tenente Arcadio, ab Alarico Visi-Gothorum Rege evocatus, cum ingenti militum multitudine (alii namque 200000. alii 300000. hominibus exercitum con-

 stitisse,

ſtitiſſe, ſcribunt) in Italiam usque penetraverat, ac ulteriores minatus erat progreſſus. Tandem verò à Stilicone, Romanorum excercitus Duce, captus miſerè periit, ſtrenui nihilominus fortiſſimique Herois nomen famamque, apud ſuos ſaltem, conſecutus. Vid. Johan. Magnus, (d) Lazius, (e) Münſterus, (f) Schedius, (g) Bangertus. (h) Huncce Regem ſubditos adeò charum habuiſſe viventem, Marſchalcus Thurius (i) ſcribit, ut exſtinctum indigitarent & numinis loco colerent. Cui Latomus (k) conſentit, ſcribens: Es haben ihn ſeine Unterthanen im Lande Mecklenburg ſo hertzlich geliebet / daß ſie ihn für einen GOtt auffgeworffen und geehret. Quibus non minùs ceteri Hiſtorici plerique planè ſimilia & opinantur & narrant. Nerreterus (l) verò hunc noſtratem Radegaſtum alium eſſe putat à Radagaiſo Gothorum Rege abs Stilicone capto & interfecto; qui tamen idem omnino ipſe eſt. Hic enim noſter Vandalorum, ſimul etiam Gotthorum Rex ſalutatur, quia, quem in Italiam duxerat, exercitus non ex Vandalis ſolùm, ſed magnâ etiam Gotthorum parte conſtabat. Quinimo & Weſtro-Gotthorum in Pannoniis, proprio, poſt defunctum Conſtantinopoli Athanaricum, per 25. annos Rege deſtitutorum, major pars Radagaſtum hunc ſibi Regem deſtinarant, unde Joh. Magno, (m) totam rem enarranti, Regum Gotthorum externorũ quinquageſimus ſecundus numeratur. Domeſticus itaque Heros ac Rex fuit, qui idololatriæ idoloque Radegaſti occaſionem Obotritis ſuppeditaſſe putatur.

(a) Lib. I. Chron. Slav. Cap. LII. (b) Antiqu. Meckl. Cap. III. §. 1. 2. (c) Chron. Roſt. Libr. I. Cap. III. in not. marg. p. 15. (*) Diſſ. de Uſ. & Præſt. Stud. Etymol. in Hiſt. §. 2. (d) Lib. XV. Hiſt. Gotth. & Sveon. Cap. XVII. (e) de Gentium Migrat. Lib. XII. (f) Coſmograph. Lib. III. p. m. 1123. (g) de Diis Germ. Syngr. 4. Cap. IV. (h) Not. ad Libr. I. Chron. Slav. Helmold. Cap. II. p. 9. (i) Annal. Herul ac Vandal. Lib. II. Cap. XIV. (k) in Genealo. Chr. Meg. MSC. Art. I. Ep. IV. (l) Juden und Heyden Tempel V. Abtheil. ad Quæſt. 3. §. 7. (m) l. c. Cap. VI. & VII.

§. XIV.

Verum enim verò, num ipſe hic idololatricus cultus tum demum temporis (contingere quippe hæc Radagaſti fata initio ſeculi V.) cœperit? non immerito dubitatur. Bangertus (a) non multum ſe refragari ſcribit, ſi quis contendat, idolum Rege fuiſſe antiquius, & hunc ab illo denominatum eſſe. Ita & Excell. Dn. D. Maſius (b) affirmare non dubitavit, juxta communem ſententiam Radegaſti cultum Seculum a Chriſto nato V. præ-

V. præcurrere. Et deinceps, (c) qui Radagastum â Stilicone interemtum post obitum inter cælites constitutum divinoque honore affectum commemorant, nominis potius, quam temporis rationem habere, & idoli hujus cultum duratione nimis brevi circumscribere ipsi dicuntur. Quodsi extra dubium vera essent, quæ de Anthyrii, primi, ut fertur, Herulorum ac Vandalorum Regis familiâ Marschalcus Thurius (d) narrat, ipsum videlicet ex conjuge Symbulla, Gotthorum Regis Filia decem superioris sexus suscepisse liberos, eosque inter natu minimum exstitisse Radagasum, conjecturæ locus esset, hunc eum esse, cui natales debuerit suos, de quo loquimur, Radegasti idolum. Etenim defunctorum & cumprimis Heroum animas à variis Gentibus, Græcis pariter atque Romanis, cultas fuisse, nullum ei dubium esse potest, cui usitata apud illas ἀποθέωσις & consecratio non est ignota, de qua Vossius (e) & Saubertus (f) videri merentur; à quibus & Nostros eundem accepisse morem posse, vero absimile haud est. Sed verò, cum isthæc de Anthyrii Filiis non omnia adeò plana sunt ac idoneis Historicorum testimoniis confirmata, ut tanquam indubitatò vera affirmari quæcunque queant, tacentibus de hoc Radagasto I. quantum quidem inquirere licuit, Historiographis reliquis, tacente & ipso cetera Mareschalco, nil nisi nudum ejus nomen referente, tacente quoque cum eo Gemnitzio, (g) ne sic quidem, veram nos investigasse idoli hujus originem, gloriari possumus. Probabiliorem, imò sanè veriorem fovet sententiam Pl. Rev. & Cl. Dn. Joh. Dan. Sukovius, Ecclesiæ Russovienſis in hoc Ducatu Pastor fideliss: & si quis alius, antiquitatum patriarum Scrutator laboriosissimus æque ac felicissimus, Fautor & Amicus noster multum colendus, opinatus, Radegastum nihil aliud præter Apollinem Hyperboreum significare, id quod in Tauro suo Sacro, Tractatu adhuc mscro, sed publicæ luci destinato, cui ut brevi exponatur, cum curiositatum harum amantibus percupimus & optamus; variis argumentis plus satis probabilibus probatum ivit, quæ in proximo §. nuper, quæ est benevola Viri in nos humanitas, nobis communicata communicabimus.

[a] Not. ad Lib. I. Chr. Slav. Helm. Cap. LII. p. 126. [b] Antiqv. Meckl. Cap. III. §. 3. (c) Cap. eod. §. 4. p. 52. (d) Annal. Herul. & Vand. Lib. II. Cap. I. (e) Lib. I. de

l. de Orig. & Progr. idololatr. Cap. XI. seqq. (f) Collectan. de Sacrific. Veter. Cap. V. (g) Geneal. Duc. Meckl. ab init.

§. XV.

Sed imaginem tam celebris idoli contemplari fortè desideraveris? Ecce igitur eam (addito, quod ex auro confectum fuerit simulacrum, ex Adamo Bremensi; (a)) ab Exc. Dn. D. Masio (b) descriptam: *Forma erecta augustiori conspicuus, capillis non prolixis sed crispioribus & quasi in gyrum actis decorum, facie rotunda & ad majestatem magis quam venustatem compositâ, supra caput avis distentis alis capillo innexa stabat, pectus insignia gentis ostendebat, nempe nigrum Tauri caput, quod dextra tenebatur; sinistra vero bipennem gerebat, de cetero nudus, nec ulla sui parte obvelatus.* Errat enim Münsterus, (c) quando scribit: Radagast ein Künig bey jnen gewesen / demselben haben sie stattlich Tempel auffgericht / und sein Bildnuß in Harnisch und Pantzer angethan. Cumque præcipuum hoc fuerit atque primarium inter propria harum terrarum idolum, figuram ejus exsculptam exhibere heic placuit intuendam, utut eandem quoq; apud Lindenbrochium, (d) Bangertum, (e) ac Nerreterum (f) cernere liceat. Ex his igitur laudatus supra Dn. Sukovius Radegasti Mecklenburgensis Apollinisque Græci convenientiam ostendit, desumtam (I) à materia. Uterque enim ex auro, siquidem Apollo, si fieri potuit, fuit aureus. (II) A forma. Uterque enim perpetuus Juvenis, formosus & imberbis. Uterq; intonsus, capillatus, crispis capillis. Uterque in capite superbit avicula. Uterque nudus: Radegastus semper quidem, Apollo verò utplurimum. Uterque armatus: Radegastus bipenni, Apollo sagittis quidem, sed & ense ac bipenni nonnunquam. (III) A Symbolo S. capite Taurino, vel si mavis, bovino. Qualem Radegasto cultum exhibuerint idololatræ nostri, Helmoldus (g) generaliter exposuit. Scilicet, ut aliis Diis suis, ita Radegasto quoque & Flamines dicaverant, & sacrificiorum libamenta multiplicemque religionis cultum. Ipsas solennitates Deo dicandas Sacerdos juxta sortium nutum denunciabat. Conveniebant adulti pariter ac parvuli, viri cum mulieribus, mactantes hostias de bobus & ovibus, plerique etiam de hominibus Christianis, quorum sanguine Deos suos oblectari jactitabant. Post cæsam hostiam Sacerdos de cruore libabat, ut efficacior esset oraculis capes-

RADEGASTUS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785/phys_0031
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785/phys_0032
DFG

capessendis. Consummatis juxta morem sacrificiis, populus ad epulas convertebatur plaususque. Ex quibus iterum nova fundamenta opinioni Sukovianæ emergunt. Conveniunt quippe Apollo atque Radegastus officio. Uterque enim Augur erat ac Vates. Quod vel ipsum nomen Radegasti indicare judicatur, derivatum ex verbo Raden sive Rahten/consilia dare, & Gast/qui est Heros, ut adeò Radegastus vi vocis sit Princeps consiliorum. Præterea utrinque adhibiti leguntur in capessendis oraculis ritus iidem. Præparatio enim fiebat hostiarum mactatione, sanguinis libatione & bibitione cruoris sacri. Ut taceam, in sequentibus, easdem fuisse oraculorum circumstantias, abs eodem ostendi. Loca quod attinet, in quibus fana exstructa Radegasto fuere, numeratur inter ea antiquissima ac celebratissima, ab Anthyrio primo Herulorum ac Vandalorum Rege, juxta Marschalcum Thurium (h) condita urbs Mecklenburga, â quâ totus; quà patet terræ Mecklenburgicæ tractus, nomen sortitus esse creditur; abs Lindenbergio (i) descripta, cui, *Rhadegasi, Herulorum idoli, fano magnificentissimo nobilis dicitur.* Dein & memoratur Rheta sive Rhetre, apud Ad. Bremensem (k) qui, *civitas eorum*, (Rhetariorum) inquit, *vulgatissima Rhetre, sedes idololatriæ. Templum ibi constructum est Dæmonibus magnum, quorum Princeps Redigast.* Dithmarus, (l) apud Micrælium, (m) urbis cujusdam, quæ Rethariorum fuerit ditionis, nomine Ridegast meminit, quam à Rethra diversam non fuisse, occurrens utriusque apud Historicos descriptio arguit. Hanc autem non luco duntaxat sacro circumcinctam fuisse dicit, sed & mari vicinam, in eâdemque ex lignis quidem, mirâ tamen arte magnificè extructum templum versus mare stetisse, cujus fundamentum unicè variorum diversorumque animalium ex cornibus jactum erat. Et ex hisce denuo prælaudatus Dn. Sukovius pro harmoniâ Apollinis Hyperborei nostrique Radegasti argumentatur. Utriusque nimirum templum ad majestatem & horrorem incutiendum compositum; Utrumque mari vicinum; ara Apollinis Deliaci ex cornibus fuisse legitur, & tale quoque templi Radegasto sacrati fundamentum. Præterea superstes hodienum oppidum Gadebuschum idolo Radegasti præbuisse sedem nonnullis, quibus & nos adstipulamur, haud inmprobabile videtur. Probat id ex Reimaro

Kochio

Kochio, (n) nec non nomine oppidi, ac, quæ supersunt, vestigiis hujus idololatriæ aliis, utpote vico non procul Gadebuscho distante, & amne oppidum alluente, utroque Radegasti nomine insignito, sæpius allegatus Dn. D. Masius. (o) Ostendi quoque ab incolis solent quædam Radegasti reliquiæ, præsertim ejus, ut ajunt, corona, quam tamen, nec Regis, nec idoli coronam fuisse aut esse potuisse, ostendi facili negotio potest. Ideoque in summè Rev. Dn. Büssingii, ap. Tentzelium, (p) judicio acquiescimus: es ist nichts als ein ordentlicher Fenster-Rahmen nach alter Gothischen mannier in Form einer Rosen/ die/ weil man sie mehrentheils unter die Thüre gegen Westen angebracht/ von einigen rosæ occidentales genant werden. Ceterùm conludimus hanc materiam verbis Masianis: (q) *non dubito, quin alibi etiam, qua patuit terra Obotritorum, templa fuerint Radegasto sacra, licet solennior cultus ad certas urbes restrictus esset.*

[a] Lib. II. Hist. Eccl. Cap. XI. [b] Antiqu. Mecklenb. Cap. IV. §. 7. (c) Cosmogr. Part. III. p. 1123. (d) Vit. Car. M. f. m. 75. à (e) Not. ad Helm. Chron. Slav. Lib. I. Cap. LII. (f) Juden- und Heiden-Tempel V. Abtheil. ad quæst. 3. §. 7. p. 108. (g) Lib. I. Chr. Slav. Cap. LII. (h) Lib. II. Annal. Herul. ac Vand. Cap. I. [i] Lib. I. Chron. Rost. Cap. VIII. (k) l. c. (l) Lib. VI. Chron. (m) Lib. II. Chron. Pom. §. 9. (n) Chron. Lubec. MSC. (o) l. c. §. 6. (p) Monathl. Unterred. Anno 1695. (q) l. c. p. 71.

§. XVI.

Post hunc commemorandus venit Prono sive Prove, Aldenburgensis terræ Deus, uti Helmoldo (a) dicitur, quoniam videlicet ab inhabitatoribus hujus terrarum tractus sive Wagriis præcipuè cultus fuit, prætereaque idolum ipsius in Wagriæ quodam versus mare luco fuit erectum, haud procul à vico, ab illo Provenow denominato, idque nominis in hodiernum usque diem retinente, ceu testis est Bangertus. (b) An autem in veteri etiam Lubecâ, ceu nonnulli existimant, aliquod ejus simulacrum ad cultum steterit, incertum ei est, sententiâ illâ Antiquorum Annalium suffragio destitutâ. Idem quoque Auctor formam idoli ita exhibet depictam: *Hic Prono, virili formâ in columnâ stabat, coronâ caput redimitus, oblongis atque erectis auribus, altero pede tintinnabulo insistens, ocreas etiam indutus. Dextrâ ferrum rubrum & quidem candens tenebat: alterâ vexilli contum quatiebat. Ferrum quâ formâ fuerit, non usque adeo certum. Vomeris speciem retulisse, quidam non sine causâ prodidere.* Qualem ei cultum præstiterint, Helmoldus (c) refert,

refert, & post eum Joh. Petersenius (d) his verbis: Vor diesem Bilde war ein Altar gebauet / darauff pflag man dem Abgott zu opffern / ein hoher Zaun war hier umb her mit zwo Pforten / den Baum (nemlich den Eychen-Baum / worauff dieses Götzen-Bild gestanden) durfft niemand anrühren / den allein der Pfaff des Abgotts / sie haben auch besondere Feyertage gehabt / dahin ward der gemeine Mann von den Pfaffen des Abgotts in diesen Hoff gefordert / und ein jeder kam mit seinem Weib und Kindern / und gantzen Gesinde / etliche brachten Ochsen / etliche Schaffe / die andern Vögel / die sie dem Abgott opfferten / in etlichen besondern Zeiten aber haben sie ihm Menschen geopffert. Nachdem sie ihren GOttes-Dienst vollenbracht / assen und truncken sie zusammen / tantzten und spielten biß in die finstere Nacht / und gingen von einander. Præsertim notamus, ad idololatricum huncce cultum spectans ferrum illud, quod clypei loco Prononi erat, inserviisse explorationi reorum, si quis criminis cujuspiam accusatus, aliâ verò ratione convinci nequiverat. Tum enim illud vel candens & ignitum manibus contrectare, vel nudatis super ipsum pedibus incedere jubebatur. Quod si læsus fuisset, culpæ; sin minus, innocentiæ habebatur argumentum. Unde & illud ferrum probatorium, ein Prov-Eisen / â Scriptoribus dictum legimus. Hunc autem morem, de quo prolixiùs Bangertus (e) videri potest, fuisse idololatris prædecessoribus nostris, probatur partim, quia & aliarum gentium hæc fuit superstitio, ut non Romani solùm Imperatores, sed alii quoque per Europam Reges Principesve peculiares de hoc examinandi genere leges tulerint; partim, quia apud Nostros tam altas egerat radices iste in veritatem inquirendi mos, ut ne tum quidem, cum ad Christianismum jam essent conversi, eundem vellent abrogatum, quin potius adhucdum ejusmodi instituere examina continuaverint, eadem efficaciora & certiorafore arbitrati, si ferrum â Sacerdotibus solenni ritu, ante ejus usum, ac precibus consecratum fuisset, cujus consecrationis formulam ex Goldasto (f) Masius (g) & Nerreterus (h) communicant. Quæ partim relicta Gentilismi vestigia, partim Papisticam arguere superstitionem, ecquis non animadvertit? Plura de Pronone qui legere cupit, præter citatos Auctores, Lindenbrochium, (i) atque Trog. Arnkielium, (k) evolvat, addito, quod Cel. Eccar-

do (l) Provè vel Proveni DEUS juſtitiæ ſit, nomine iſthoc â voce Prawo, jus, deſcendente, quæ etymologia aliorum derivationi contraria non eſt. Et huncce Deaſtrum antiquiores etiam Mecklenburgenſes veneratos fuiſſe, non ſolùm Dn. D. Maſius (m) aſſerit, verbis: *inter Obotritorum numina celebre idolum Prono vel Prove fuit*; ſed & indè colligitur, quod tota Wagria Herulorum olim paruit Regibus, quod præter alios Peterſenius (n) fatetur: Die Mecklenburgiſche Fürſten / die man Herulos genennet / ſeyndt Herren über Wagerland geweſen / biß auff die Zeit Adolphi des andern Graffen der Holſten und Stormern. An autem dubitari poteſt, quorum communis Dominus, eorum & communem Deum atque religionem fuiſſe?

(a) Lib. I. Chron. Slav. Cap. LII. (b) in Not. ad loc. cit. (c) l. c. Cap. LXXXIII. (d) Holſten-Chron. part. I. p. 17. non autem part. II. ut Arnkielius & ex eo Nerreterus falſò citant. (e) Not. ad Helmold. Chron. Slav. Cap. LXXXIII. (f) Tom. 2. Antiqu. Alemann. (g) Cap. II. Antiqu. Mecklenb. §. 4. (h) Juden-und Heyden-Tempel Vte Abtheil. ad Quæſt. III. §. 6. p. 1007. (i) Vit. Car. M. fol. 77. ſeqq. (k) Cimbriſche Heyden-Religion Cap. XIII. §. 2. (l) Diſſ. de uſu & Præſt. Stud. Etymol. in Hiſt. §. 2. (m) l. c. (n) l. c. p. 20.

§. XVII.

Poſtremò & in publicum prodeat populoquè ſpectaculo ſit Siwa, vel Siva, vel Syeba, vel, ſi Slavonicum eſt vocabulum, quod Cl. Dn. Eccardus (a) vult, Dziwa, Polaborum ſive Razeburgenſium Dea. Scilicet, non maſculini duntaxat generis Diis contenti Gentiles idololatræ fuerunt, ſed & Deas ſequioris ſexus fingere ſibi, placebat. Auctor eſt Tacitus, (b) vetere apud Germanos more, plerasque fœminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione Deas habitas fuiſſe. Hinc Schedio (c) enata conjectura eſt, Siwam vel Syebam, corruptâ voce dictam, fuiſſe ipſam Symbullam, Sitalcis, Joan. Magnus. (d) Sitalchum vocat, Gothorum Regis filiam, Anthyrio M. primo Herulorum ac Vandalorum Regi nuptam, matremque adeò totius Regiæ proſapiæ Principum Vandaliæ & Megalispoleos, cui poſteri tanquam magnæ Matri gratificaturi, in perpetuam memoriam ſtelam dedicaverint. Aſt contra hancce ſententiam non uno tantùm argumento pugnari poſſe, Dn. D. Maſius (d) clarè docuit. Quapropter alii, Polabis ceterisque Wendis, quod Romanis Venus, Siwam fuiſſe, autumant, opinione multum probabiliori. Idem aliquoties lauda-

laudatus Eccardus (f) etiam probat, eâ ratione, quod vocis Dziwa diminutivum, *Dzievicza*, hodieque in usu est, & virginem significat Polonis. Datumque hoc nominis ait generationis Deæ καθ' ἐξοχήν, uti eidem à Latinis *Veneri*, à Germanis *Freiæ* sivè *uxori* appellatio generalis fuit tributa. Quæ facies idolo fuerit, Bangertus (g) depingit: *Stabat illa utrâque manu in tergum rejectâ, alterâ uvam cum foliò viridi, pomum aureum alterâ tenens. Capilli per tergum ad poplites usque fluebant.* Addit Masius, (h) fuisse eam formâ eleganti & augustâ in columnâ positam, caput serto ornatam, de cetero nudam. Talem namque amoris, scilicet! Deam fingi decebat. Stetisse hoc idolum in veteri Lubeca Lindenbrochius (i) asserit; de quo quidem non disputabimus. Clarius tamen constat, Razeburgi illi templum cum adjacente silva sacra dicatum fuisse. Exstructum illud Marschalcus (k) dicit in colle, ubi nunc templum religiosum. Quod procul dubio est templum cathedrale, abs Henrico Leone Bavariæ Duce conditum, quemadmodum Bangertus, (l) atque Masius (m) scribunt. De cultu ejus ipse videatur Helmoldus. (n) Sed vero in specie Mecklenburgenses hoc quicquid est Deæ religioso prosecutos fuisse cultu, præter allegatos Auctores, testatur Lindenbergius, (o) qui inter multos & varios Megapolitanorum Deos etiam hanc Sivam nostram numerat. Is ipse (p) de oppido duobus ab hâc nostra civitate miliaribus distante scribit: *Cygnea*, Schwan / *ab antiquis Siva indigitata fuit, à Venere ibidem culta; quam Sivam appellabant, & nunc corrupte Schwan.* Sic etiam Marschalcus (q) de eadem: *Siva Dea Vandalorum Venus ipsa. Colebant illam Polabi cumprimis & Heruli, à quâ Deâ civitatula, quam nunc Sivam vel* Schwaan *appellant.* Johannes etiam Simonius, (r) Academiæ hujus quondam Professor, Udonem Obotritarum Regem ita introducit loquentem:

Me Patriæ exilium, Fratriæque injuria falso
In cultu idoli detinuere Sives.

[a] Dissert. de Us. & Præst. Stud. etymol. in Hist. §. 2. [b] Hist. Lib. IV. [c] de Diis Germ. Syngr. III. Cap. IX. [d] Lib. III Hist. Goth. & Sveon Cap. XII. (e) Antiqu: Meckl. Cap. II. §. 6. (f) l. c. (g) Not. ad Helmold. Lib. I. Cap. LII. p. 127. (h) l. c. (i) Vita Carol. M. f. 79. a (k) Annal. Herul. & Vand. Lib. I. Cap. IX. (l) l. c. (m) l. c. (n) Lib. I. chron. Slav. Cap. LII. (o) Lib. I.

Chron. Roſtoch. Cap. III. (p) l. c. Cap. IIX. Not. Marg. p. 35. (q) in jndice Elucid. voc. Siva (r) Stemm. Megapol. Vit Udonis.

§. XVIII.

Nolumus plura, quæ Mecklenburgenſes ante nos coluere, referre idola, utut & alia numero haud exiguo produci in ſcenam poſſent, quibus non Gentiliſmi Mecklenburgenſis præcipuè, ſed converſionis ad Chriſtianiſmum hiſtoriam deſcribere conſtitutum eſt, unde præcipua vel tetigiſſe ſolùm ſufficit. Præſertim cum ex his de ceteris facillimo judicari momento queat. Et tanta, proh! tamque nefanda in his terris olim idololatria viguit: in iſtis plus quam Cimmeriis tenebris prædeceſſores noſtri vitam ducebant ac conſumebant omnem. Nunc igitur, quando & quomodo, abrogato omni idolorum cultu, eluctati ex illis, vel ut rectius dicam, educti in lucem ſint? diſpiciendum erit. Notum eſt, ante natum humani generis Salvatorem populos univerſum habitantes orbem in Judæos ac Gentiles diſtributos fuiſſe; Nato autem Salvatore, utrosque & in univerſum omnes, ubicunque terrarum degerent, ne unico quidem excepto, ad eundem vocandos fuiſſe, utpote quorum bono in hunc mundum venerat, ex Theologorum Scholis heic ſupponere licebit. Imò & reipſâ gentes omnes ad Chriſtum, Apoſtolorum ope, fuiſſe vocatas, ipſi illi duplici Pauli teſtimonio probant, quando is: *Atqui in omnem terram*, ſcribit, *exivit ſonus eorum*, (Apoſtolorum) *& in fines orbis terrarum verba illorum*; & alibi: (b) *Evangelium prædicatum eſt apud omnem creaturam, quæ ſub cœlo eſt.* Quod teſtimonium ſi verum, ecquis autem Chriſtianorum de veritate ejus dubitaverit? facilis ab univerſali ad ſingulare, ab omni terrâ ad terram Mecklenburgicam, ab omni creaturâ, quæ ſub cœlo eſt, ad Mecklenburgi incolas pronaque conſequentia erit. Hinc vetuſtiores Scriptores Eccleſiaſtici factam, ſine omni exceptione, univerſalem Evangelii de Chriſto prædicationem confidenter aſſerere non duntaxat, ſed & defendere potuerunt. Ita namque Ignatius, Vir Apoſtolicus: (c) *Eccleſiam ſuis ſudoribus & laboribus fundarunt Sancti Apoſtoli a finibus terræ, usque ad fines in ſanguine Chriſti.* Expreſſiùs in rem noſtram Theodoretus, (d) qui floruit Seculo V. *Piſcatores noſtri, & publicani, ſutorque cunctis nationibus leges evangelicas intulerunt. Neque ſolum Romanos; quique*

que sub illorum vivunt imperio, sed & Scythicas & Sarmaticas gentes, & Indos, & Æthiopes, & Persas, & Seras, & Hyrcanos, & Bactrianos, & Cimbros, & Germanos, atque ut semel dicam omne hominum genus, nationesque omnes induxerunt, ut Crucifixi leges acciperent. Quid? quod Irenæus, (e) Scriptor seculi II. ζηλώτης ille τῆς ἀληθείας τοῦ χριστοῦ, quo titulo â martyribus Lugdunensibus & Viennensibus apud Eusebium (f) condecoratur, Germaniæ id laudi ducat, quod, quam adepta fuerat, prædicationem & fidem diligenter conservaverit, verbis: *neque in Germaniis fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt.* Vandali verò tum adhuc temporis hunc nostrum tractum possidentes Germani fuere, ut etiam de illis hæc talia testimonia intelligenda non immeritò sint. At verò nimis generalia hæc sunt, distinctam magis rei notitiam desideranti nullatenus suffectura. Alii igitur Patriæ nostræ limites propiùs accedentes, specialiora narraturi, Nerone imperante, adeoque ipso primo post Christum natum seculo, duos è Christi Discipulorum numero in Germaniam verbum salutis annunciaturos advenisse, eorundemque alterum ad Bardevicum usque penetrasse, fidem faciunt. Scribit enim Henricus Hevordiensis (g) apud Meibomium: (h) *Duo ex LXXII. discipulis Christi missi sunt per B. Petrum Apostolum in Teutoniam, verbum Dei prædicaturi: unus quidem in Treverim super fl. Mosellam, sc. Maternus: alius autem, sc. Ægistus, in Bardew. super fl. Elmenow, cum Mariano, qui fuit Archidiaconus ejus, & in Bardewic coronam martyrii perceperunt, & adhuc eorum corpora requiescunt, Ægisti quidem in loco ignoto, in majori altari, ad S. Petrum ibidem.* Hunc forte secuti idem affirmant Centuriatores Magdeb. (i) aliique Meibomio citati, quibus præterea Johann. Petersenium (k) & Johann. Angel. â Werdenhagen (l)addimus. Nec penitùs omittendus videtur Cranzius, (m) cujus notanda sunt verba, quando de hoc scribit: *ferunt sine certo Autore plurimi.* Item: *Hæc fama feruntur, sed non leguntur in Annalibus, qui ab istis antiquitatibus penè nulli extant.* Quibus fortassis commotus Sagittarius, (n) ut omnem hanc narrationem fabulas redolere audacter pronunciaverit; cujus verò argumenta tanti non esse, ut omnem illi fidem adimerent, Trog. Arnkielius (o) satis probavit superque. Utut vero sit, quanquam Christiana fides Mecklenburgensibus eâ jam tempestate persuaderi cæperit;

hunc tamen conatum perparum salutaris effectus consecutum fuisse, prohibente pertinaci idololatrarum repugnantiâ, sequentia tempora abunde edocuerunt.

(a) Rom. X. 18. (b) Col. II. 23. (c) Epist. ad Philadelph: p. 94. (d) de Cur. Græc. Affect. Serm. 9. (e) Adv. Hæres. Lib. I. Cap. III. (f) Lib. V. Hist. Eccles. Cap. IV. (g) Fact. memor. (h) Hist. Bardevvici Tom. III. Rer. Germ. p. 57. seq. (i) Gent. I. Lib. II. Cap. III. & X. (k) Holsten-Chronick / pt. I. p. 4. (l) de Rebuspubl. Hanseat. pt. III. Cap. I. (m) Lib. I. Metropol. Cap. I. (n) Hist. Bardevvic. Cap. II. n. 14. 15. (o) Cimbrische Heydenbekehr. Lib. I. Cap. IV. §. 8.

§. XIX.

Ast unde primam cognoscere gentis conversionem debitur? Carolum M. Imperatorem in fronte statuendum eorum, qui pro DEo in partibus aquilonis laboraverunt, Helmoldus (a) dicit, quem Crantzius (b) secutus est, utpote cui initium narrandi enatum ab annis Caroli M., quem primum victrici gladio Saxonibus Christi nomen invexisse pronunciat. An autem ad IX. fermè seculum usque nullos sive in Saxoniâ universâ, sive nostrâ in Patriâ speciatim & totâ Wendorum ditione Christianos extitisse dicemus? Altioris proinde indaginis res erit, numne jam ante Caroli M. tempora Nostris Evangelii, radiis quamlibet, ut ita dicam, debilioribus, quædam affulserit lux? Testantur unanimiter Historici, permagnam Wandalorum nostrorum partem, associantibus se Gothis, ad finem inclinante seculo IV., Honorio & Arcadio imperantibus, Duce Radegasto Wandaliæ Rege, novas sedes, relictâ à tergo patriâ, occupatum, in Italiam primum commigrasse, dehinc in Hispaniam irrupisse, porro in Africam pertransiisse, neque per exiguum modo temporis ibi substitisse, sed in sextum usque seculum, quo sub Justiniani Imperio, plerisque bello interemtis, regimen eorum penitùs exstinctum, quam totam rem pleniùs nobis, ipse in multis αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος testis, Procopius (c) descriptam reliquit. Ut taceam Wandalos eos, qui jam olim, Hunnis pressi, Romano Imperio se submittentes, à Constantino M. loca habitandi sibi dari petierant, eaque impetrata in decimum tertium usque Imperatorum Arcadii ac Honorii annum tenuere, quorum Sigebertus Gemblacensis (d) meminit. Ita vero cum Christianis multum versati, in iis quidem regionibus, ubi præcipuè

tum

tum Christiana florebat Religio, huic sese aliquam partem addixisse non immeritò creduntur. Et verò ita se rem habere, Historicorum nos dubitare fides haud permittit. Quandoquidem enim Gotthi Wandaliq; quasi in unum fuere populum uniti, etiam jam ante memoratam numerosam illam sub Radagasto Rege migrationem aliquos saltem eorũ ad Christum conversos fuisse, colligendum ex eo est, quod, Gotthorum Episcopum, cui Theophili erat nomen, Nicæno Concilio An. 25. Seculi IV. habito præsentem subscripsisse, Socrates (e) refert. Ast nec tum quidem magnam Gotthorum partem, ne dicam omnes, Christo nomen dedisse, probari potest, ut pro exiguâ potius eorum Christianæ doctrinæ agnitione ac approbatione concludendum sit. Postmodum verò, Valentis Imperium Orientale administrantis tempore, major illis, quâ Christiani fieri potuissent, enascebatur occasio, modò non contigisset, ut veritatis lucem intueri cupientes, è tenebris simplicis ignorantiæ, in ignorantiæ compositæ tenebras fuissent præcipitati. Intestino quippe bello inter eos orto, in duas discindebantur partes, quarum alteri Fritigernus præerat, Athanarichus alteri. Superante verò Athanaricho Ostro-Gotthorum Duce, Fritigernus Dux Visi-Gotthorum ad Valentem confugiens auxilium ejus implorabat. Quo impetrato, cum victor esset, ut gratiam referret Imperatori, eandem cum eo opinionem de DEo suscipere, suosque, ut illam unà amplecterentur, incitare promittebat, modò, quorum intelligerent linguam, Doctores ad ipsos ablegare vellet Imperator. Hic, quæ petierant, protinus concessit, ipseque Arianismo totus totusque addictissimus Episcopos illis atq; Doctores mittebat Arianos, quorum improbo labore, optimos se Christianos arbitrati, pessimi facti Hæretici sunt. Operam nefando tali operi præstabat præcipuam, quem verum Christianum eorum credebat simplicitas, Ulfila sive Ulphila, & ipse Gotthus suæque gentis Episcopus, qui Nicænæ antea fidei addictus, Arianorum autem promissionibus illectus, Hæreticus acerrimus evaserat, nunc cæcus cæcos ducens, in pervertendis multò majorem impendebat curam, quam fortè convertendis iis adhibuerat olim. Tum enim divinarum Scripturarum Codicem in Gotthicam transfudit linguam, immixto, detestando facinore, quod imbiberat,

biberat, pernicioso tot animabus veneno; ut adeò non Visi-Gotthis solùm, sed & Ostro-Gotthis illud propinaret, Socrate (f) attestante. Historiam hanc ipsam apud Jornandem, (g) Nicephorum, (h) Johannem Magnum, (i) aliosque prolixiùs legere est. Hoc autem modo non Christianismus, sed Christianismo inimicus error in totam Gotthicam gentem cæterosq; unâ Wandalos disseminabatur. Inde tot diriſſimæ, institutæ a Wandalis in Africa seculo V. cumprimis sub Genserico ac Hunerico Regibus Orthodoxorum persecutiones, de quibus & Procopius (k) prolixe egit; & Victor Uticensis tres peculiares posteritati libros (l) reliquit, quorum uterque easdem vidit, ac posterior etiam earum gravitatem perpessus ipsemet est atque persensit. Equidem Gothofredus Arnoldus (m) facinus hoc Wandalorum quocunque modo excusare allaborat; ast hominem isthunc omnia aliis improbata probare, culpata laudare, damnata extollere, quis est qui ignoret? Ideoque nec mirum, eum hoc in negotio Hæreticorum causas agere, Orthodoxos damnare, omni hostilitate ac persecutione propriæ horummet culpæ adscriptâ. Scilicet malitiam aliorum excusat, qui ipse malitiosus est, aliorum scelera defendit, qui ipse scelestissimus. Sed retrogredior ad Wandalos nostros Arianos, quorum tandem sævitia paulisper desæviisse videbatur. Tandem enim Regni habenas capessens Trasimundus, non violentiâ, sed blanditiis, donationibus, honoribus, aliisque id genus machinationibus ad patrium sibi dogma transferre rectiùs sentientes studebat. Is postquam fatis concesserat, Hilderichus regium conscendit solium, clemente animo Rex, neque Christianis, neq, alii cuiquam gravis, quo nomine â Procopio (n) est laudatus. Sed nec, qui Hispaniam occupaverant, Gotthos iisque admixtos procul dubio Vandalos in errore isthoc perstitisse; sed Regem eorum Reccaredum, abdicatâ paulo ante Hæresi Arianâ, Toletanum Concilium, quod IV. aliis, aliis III. numeratur, per universam Hispaniam atque Galliciam indixisse, quo condemnatum fuit, quicquid Arianum saperet dogma, Isidorus Hispalensis (o) testatur. Ipsa quoque Concilii Historia & Acta Tom 3. Conciliorum Illustratorum Joh. Ludov. Hartmanni (p) videri poterunt.

(a) *Lib.*

[a] Lib. I. Chron. Slav. Cap. III. [b] Lib. I. Metrop. Cap. I. [c] Hist. Vand. [d] Chrono-Graph. ad annum 433. p. 479. & 495. in Tom. Script. Rer. Germ. Pistorii, [e] Lib. II. Hist. Eccles. Cap. 41. (f) Lib. IV. Cap. XXXIII. [g] Hist. Getar. sive Gotthor. Cap. XXV. (h) Lib. XI. Hist. Eccles. Cap. XLVIII. (i) Hist. Gotthor. Sueonumque Lib. XV. Cap. I. (k) Hist. Vand. Lib. I. (l) Tit. Hist. Persecutionum, quas in Aphricâ olim Christiani perpessi sub Genserycho & Hunerycho Vandalorum Regibus. Coloniæ 1537. in 8. (m) Kirchen- und Ketzer-Historie Part. I. Lib. V. Cap. I. §. 10. & 11. [n] loc. cit. (o) Chron. Gotthor. Vand. & Suevor. in Hispaniâ (p) Æra 624. Period. III. Peric. 6 Diatrib. 23.

§. XX.

Aſt hi Vandali ac Gotthi, de quibus ſcripſimus, ut extra communem Patriam noſtram, ex quâ egreſſi tamen erant ſaltem non omnes, conſenuere; ita etiam extra curam noſtram in poſterum ſunto. Revertar ad eos, quos patrium ſolum, emigrantibus aliis, tum retinuit, eorundemque poſteros ac ſucceſſores. Heic vero non injuriâ, arbitror, cum Latomo (a) conquerimur: Allhie wird es uns eine Zeitlang an Hiſtoriſchen Beweiß mangeln/denn weil in dieſem Lande zu der Zeit eitel barbariſche/heidniſche/unbekandte Völcker gewohnet/als ſind auch hie weder geiſtliche noch weltliche Hiſtorien auffgezeichnet. Attamen quia, Crantzio (b) recte dicente, *multa possunt facta esse, quæ scripta non sunt*; hinc, licet expreſſam hujus rei Hiſtoriam ſcriptam invenire haud licuerit, ex illis tamen, quæ dubium ſuperant, eorundemque circumſtantiis, ad alia cum illis quam probabiliſſime connexa facta concludamus, licebit. Et ſic, quin quædam Chriſtianæ Religionis, utut tenuiter admodum, ſparſa fuerint ante Carolum M. inter Noſtros ſemina, affirmare nullus dubito. Nam revelatum verbum ſalutis non penitùs his terris incognitum fuiſſe, juxta ſuperiora, (c) probabiliſſimum, ne dicam certiſſimum, mihi eſt: Iſtud verò efficaciam habere divinam illuminandi homines malitioſè obicem non ponentes, Theologi nos docent. Quam igitur eidem denegare adeò mihi religio ſit, ut potius eam firmi fundamenti loco ſupponam. Aſt vero, innotuiſſe quodammodo jam tum hiſce oris Evangelii de Chriſto doctrinam, dubitare non permittit illud Noſtrorum cum Chriſtianis, horumque cum illis vigens commercium. Winetam, Helmoldo (d) ſcribente, maximam omnium, quas Europa claudit, ci-

vitatum, mercibus omnium nationum locupletem, nihil non habentem jucundi aut rari urbem, Pomeranorum ditionis, in insula, quam Suenus & Panus fluvii concludunt, Slavi cum aliis Gentibus permixtis, Græcis & Barbaris, incolebant. Imò & advenæ Saxones parem cohabitandi licentiam acceperant, si tantum Christianitatis titulum ibi commorantes non publicassent; id quod & Crantzius (e) atque Micrælius (f) repetunt. Hic non persuadebor, adeò nullam Christianæ doctrinæ mentionem apud Gentiles, saltem eos, quibuscum familiarius illis contigerat consortium, Christianos fecisse, ut nihil prorsus ejus illi inaudiverint unquam. Et quia novitatis admodum avida est hominum natura, tot Gentilium quosdam (paucos tamen eos fuisse non pertinaciter negabo) in novam sibique incognitam huc usque doctrinam, clam minimum, ubi apertè non licebat, apud familiares suos concives ac vicinos inquisiviſſe, quisnam non crederet? Et quis dubitaret, si non in omnibus, aliquibus tamen efficaciam suam exseruisse propositum illis verbum? Sic verosimile omnino fit, conversos eo tempore nonnullos Slavorum ad Christianismum fuisse.

[a] Genealo-Chron. Megap. Mſc. art. 1. Epoch. 6. (b) Lib. I. Metrop. Cap. XLII. (c) §. XVIII. (d) Lib. I. Chron. Slav. Cap. II. [e] Lib. II. Vand. Cap. XX. (f) Pomm. Chron. Lib. II. §. 15.

§. XXI.

Contra hanc vero probationem duo excipi posse, animadverto. Unum est, quod neque Helmoldus, neque alii disertè asserant, jam ante Caroli M. tempora Christianos Winetæ insedisse, ut ideò infirma nostra sit consequentia; cum fortè tempora intelligantur Imperatoris ejus ætatem insecuta. Alterum, prius illud, sicuti videtur, magis confirmans dubium est, quod ipse demum Carolus M. ad amplectendam Christianam religionem armorum vi subactos Saxones adegerit, ut ante ejus tempora illi non potuerint eandem persuadere aliis. Quod primam attinet exceptionem, fateor, parum constantem de Winetæ Urbis desolatione in Historicorum monumentis relationem reperiri, ut dubium istud non frustrà motum primo intuitu videri queat. Lindenbergio (a) nostrati oceani allatrantis & exuberantis inundatione eversam eam & submersam periisse, fama

fama per manus posteris tradita & vetusta quædam Scripta in monasteriis reperta testata sunt, adductâ quorundam opinione, tempore Ludovici Imperatoris, anno Christi 830. id accidisse, suspicantium. Quod si ita res esset, fieri omninò etiam potuisset, ut jam ante Carolum M. Winetæ degerent Christiani. Nam tum vix sex ejus seculi, adeoque ab jmperio Caroli totidem; ab obitu autem ejus nondum quatuor effluxere lustra, siquidem anno 814. ipsum mortalitatem exuisse, ejus apud Eginhartum (b) & Joh. Joach. Frantzium (c) occurrens Epitaphium fidem facit. Verum plus videtur dubii facessere Helmoldi (d) calculus, quando Seculi X. Anno 80. adhuc hanc urbem floruisse, refert, quo tempore Haraldus Danorum Rex à Sueinone, vel ut aliis vocatur, Sueinottone, Pater a filio, bello victus ac graviter sauciatus ex acie fugiens, ascensâ navi, ad civitatem opinatissimam Slavorum, nomine Winnetam, elapsus esse ab eo scribitur. Necessum proinde est, vel Helmoldum, vel ceteros Scriptores errasse. Equidem Georg. Christoph. Gebhardi, (e) conciliari posse relationum harum differentias ac Helmoldi fidem nonnihil roborari, ratus est, si diceremus, tunc temporis nondum planè interiisse Winetam, sed naufragis ac mari jactatis potuisse adhuc portum & asylum quoddam præbere, adeoque Haraldum pressum ac defatigatum in ruderibus & tuguriis, quæ post excidium sine dubio aliqui exstruxerint, quiete frui potuisse. Interim ipsemet Helmoldo non integrum præbere assensum videtur, adjiciendo exceptionem: *nisi Sueino de Julinensibus pœnam legatur cepisse, ob receptum Patrem.* Quod quomodo intelligat, non capio, cum potius ille ab his ter captus à Saxone Grammatico (f) dicatur, adeò ut, Regni thesauro tandem redemtioni Regis non suppetente, fœminarum experiri humanitatem opus habuerit, quæ, *detractis*, loquor Saxonis verbis, *aurium insignibus, ceteroque cultu, certatim digestam pondere summam expleverunt, plus commodi in salute Principis, quam amœnitatis in ornamentorum suorum specie reponentes.* Certum interea mihi manet, aliorum Historicorum monumentis confirmato, eâ tempestate Winetæ superfuisse nihil. Crantzius (g) enim, Heraldum (alii Haldungum vocant) Svecorum,

& Hemmingum Danorum Regem, qui tempora contigerit vicina Carolo Francorum Regi ut & Germanorum, post imperanti, junctis armis impugnatam civitatem expugnasse, militibus diripiendam tradidisse, & deinde solo æquasse, fidem facit. Quod autem Lindenbergium attinet, exitum hujus Urbis per inundationem aquarum describentem, is facile cum Crantzio conciliandus ex Micrælio (h) est, qui dictos Reges eam â fundamentis dejecisse, consentit, ita tamen ut maris exundantia totam deinceps temporis absorpserit. Quibus ita se habentibus, Haraldus Daniæ Rex, de quo sermo est, non Winetam, sed Julinum delatus ibique immortuus dicendus erat. Idque ipse Helmoldi Commentator Bangertus (i) animadvertit, ut aut lectionem corruptam, aut Auctorem hallucinatum esse, judicare non dubitaverit. Quoad prius notat, in aliis mstis Codicibus pro Winetâ legi jumnetam: quoad posterius, Pontani & Alberti Stadensis testimoniis probat, non Winetæ, sed Julini mortuum esse Haraldum. Id ipsum etiam præter Cranzium (k) Saxo Grammaticus (l) affirmat, verbis: *Idem (Haraldus) saucius â suis Julinum relatus, celerem vitæ exitum habuit.* Quibus in totum adstipulatur Kantzovius, (m) cujus integra dabo verba, quando scribit: Nun kan ich nicht glauben/ daß Wineta zu dieser Zeit soll im Wesen gestanden haben/ dann D. Marschalck in seinen Buch von den Wenden und Herulen schreibt/ daß Hemmingck der König in Dennemarcken/ der bey des grossen Carls Zeiten gelebet/ diese Stadt soll zerstöret haben/ darümb so sich diese Stadt gleich etwas erholet hätte/ wehre sie doch solcher Macht nicht gewest/ daß sie sich gegen den König und das gantze Königreiche aufflehnen können/ derhalben halte ich es mit Saxone/ daß es die Wollinschen gewesen seyn/ die Könningck Heroldus angenommen. Iterum igitur iterumque mihi certum fit, esse Winetam jam integro cum dimidio seculo ante definitum abs Helmoldo tempus eversam atque demolitam, nec Haraldum Winetæ occubuisse, nec post Carolum M. demum Saxones hanc urbem habitare cepisse, quam An. 650. adeò claruisse, Gebhardi (n) attestante, ferunt, ut Byzantio palmam longè præripuerit. Sed novum heic mihi opponere dubium alii videntur, quibus, Winetam & Julinum unam eandemque fuisse urbem, vero absimile non est, ut Helmoldo ceterorum testimonia

monia non obstent, neque, Saxones antè Caroli M. ætatem Winetam inhabitasse, satis firmiter concludatur. Ubi fatendum quidem est, iisdem plane verbis, quibus Julinum Adamus Bremensis, (o) Helmoldum (p) Winetam describere, quod & â Theod. Engelhusio (q) factum cernimus, qui urbem Minetam prope Meckelenborg vocitat. Quare fortassis Cranzius (r) scripsit, fieri potuisse, ut quam Danicus Scriptor appellavit, vel Archon in Rugia, vel Julinum in continente, Wandali dixerint suâ linguâ Winetam; quæ eadem repetita â Mũnstero (s) sunt. Contrà verò, diversas fuisse Urbes, Winetam atque Julinum, aliquo saltem modo probat diversa mſctorum Helmoldianorum paulò ante allegata lectio; apertiùs autem, Winetæ ruinam Julino, si non ortum, saltem incrementa ac splendorem, ut fieri in rebus solet, conciliasse, Marschalcus, (t) Kantzovius, (u) Micrælius (x) testantur. Potissimùm observandum venit, Winetæ diversam â Julino situm fuisse, quod distinctè indicat Fridebornius, (y) ut Winetæ, aquarum undis submersæ, rudera ac fundamenta adhuc in mari conspici queant, quod iterum Kantzovius, (z) Micrælius, (aa) & recentissimè Gebhardi (bb) affirmant; Julinum autem steterit, ubi nunc oppidum Wollinum, circa quod haud exigua ejusdem inveniri rudera ac vestigia videri, Cramerus (cc) testis est. Septem de cetero miliarium inter Winetam ac Julinum fuisse distantiam, ex Joh. Lubbechii testimonio Chytræus (dd) asseverat. Accedit, quod disertè, Julinum â Waldemaro I. Danorum Rege An. demum 1170. in solitudinem redactum esse, Saxo (ee) Danus, & Pomerani Fridebornius (ff) atque Micrælius (gg) testentur. Ex hisce clarum est, Winetam diversam â Julino civitatem fuisse, esseque eam vel ipsâ Caroli M. ætate, vel non multo post eum tempore solo æquatam, sedisse autem in illâ Saxones. Quibus sic demonstratis, quidni, factam tali occasione aliquam, quamlibet tenuem, Christianismi notitiam Slavis fuisse, eorumque saltem quosdam eidem assensum præbuisse, probabiliter concludere nunc liceret?

(a) Lib. I. Chron. Rost. Cap. VII. (b) Vitâ Caroli M. Tom. II. Corp. Franc. Hist. p. 443. (c) Hist. Caroli M. edit. Bœcleri p. 91. (d) Chron. Slav. Lib. I. Cap. XV. (e) Dissert. de Winetâ & Arconâ p. 38. (f) Lib. X. Hist. Dan. vita

Vita Sven. p. 187. (g) Lib. II. Vand. Cap. XX. (h) Chron. Pom. Lib. II. §. 15. (i) Not. ad l. c. p. 48. (k) Lib. II. Vand. Cap. XXXII. (l) l. c. p. 186. (m) Chron. Pom. MSC. Lib. I. (n) l. c. p. 41. (o) Lib. II. Hist. Eccles. Cap. XII. (p) Lib. I. Chron. Slav. Cap. II. (q) Chron. edit. Mader. p. 69. (r) Lib. II. Vandal. Cap. XXII. (s) Lib. III. Cosmograph. p. 1135. (t) Lib. I. Annal. Herul. ac Vandal. Cap. XI. (u) l. c. (x) l. c. §. 16. (y) Chron. Stettin. Lib. I. p. 18, 19. (z) l. c. [aa] l. c. §. 15. [bb] l. c. p. 42. [cc] Pomm. Kirchen Chron. Lib. I. Cap. XXI. [dd] Saxon. Lib. I. p. m. 10. [ee] Lib. XV. Hist. Dan. Vit. Waldemari I. p. 359. [ff] l. c. p. 20. [gg] l. c. §. 16.

§. XXII.

Altera exceptio erat, Saxones à Carolo M. eò redactos demum esse, ut Christianam fidem susceperint, ideoque non potuisse Saxones, Winetæ Cives, ante hunc Imperatorem Slavis persuadere Christianismum. Hîc quidem absit, ut Imperatori laudatissimo, quas ad unum omnes ei deferunt, laudes denegem, quem præcipuè Saxones ad Christum duci curasse, Historicis uno ore attestantibus omnibus, tam certum est, quam quod certissimum. Fatendum tamen juxta erit, insumtam Caroli operam de universâ Saxonum gente prædicari, neque, singulos sparsim jam antè Christianæ Religioni addictos fuisse, idpropter negari posse aut debere. Nolo heic repetere, quæ de Ægisto, Saxonibus Evangelium prædicante, jam suprà (a) tradita sunt. Neque alios comemmorabo, qui totam Germaniam peragrando, populo in idololatriæ caligine sedenti verbum salutis annunciavere, de quibus Chytræum (b) videsis. Etiamsi enim vel solum hoc argumentorum plus satis esse posset, hic tamen potius provocabo ad illud inter Francos & Saxones à multo tempore inde intercedens commercium, ex quo colligo, ab istis inter hos sparsa salvificæ doctrinæ semina fuisse. Francos autem quod attinet, eos jam dudum aliquam habuisse Christianorum doctrinæ notitiam, in illorum Annalibus legere est. Equidem Clodovæus primus est é Francorum Regibus, quem, instigante Conjuge Chrotilde, Gundobaldi Burgundionum Regis ex Fratre nepte, ab ipsis infantiæ incunabulis Christianâ, DEoque in prælio adversus Alemannos laboranti ejus exercitui singulariter opitulante, baptizatum Sigebertus Gemblacensis, (c) Gregorius Turonensis, (d) Aimoinus, (e) aliique Francicarum Rerum Scriptores nominatim indicant. Factum id esse abs Remigio, Remensi-

mensium Episcopo, An. Chr. 484. incertus Auctor Compilationis Chronologicæ apud Pistorium (f) scribit. At nullum tamen dubium est, quin etiam ante id temporis Franci bonam partem Christiani fuerint ipsi, ac Christianos rebus suis quietè frui, suamque Religionem publicè excercere permiserint. Constat ipsum, quia Christianæ Ecclesiæ inter eos jam ante extiterunt Episcopi, & cumprimis, quia Chrotildis, Clodovæo idolis adhuc adhærente, duos ex se natos Filios, Marito non adeò morosè refragante, Christiano ritu & actu solennissimo baptizari curavit, id quod præter Aimoinum (g) & Gregorium (h) Anonymus Gestorum Francorum Epitomator (i) retulit. Cum hisce Francis Christianam Religionem amplexis Saxones confines semper aliquid habuere commmercii. Non est ut de bellis, quæ inter se gessere, dicatur; haud tamen prætereundum, quod nunc confœderati amicitiam coluerint, nunc Franci Saxones subjugaverint fecerintque sibi Tributarios, quemadmodum jam â Clothario Seniore ClodovæiFilio, quingentas annuatim vaccas inferendales, uti vocabant, Regiæ Francorum mensæ, teste Aimoino, (k) & post eum Crantzio, (l) inferre jussi fuerant, quod tamen tributũ, Dagoberto regnante, ipsis remittebatur. Taceo jam, quomodo Clotharius Pater Dagoberto Filio in prælio sucurrens, post devictum Berthoaldum Saxonum Ducem, Saxoniam ingressus ita eam depopulatus apud eundem legitur Aimoinum, (m) *ut nullum in eâ hominem viventem relinqueret, qui longitudinem spatæ, quam tunc fortè gerebat, excessisset.* Pipino II. ad Regium solium evecto, rursus â Francis non tam lacessiti Saxones sunt, quam bellorum vi coacti, ut promitterent, *se omnem voluntatem Regis esse facturos, & annis singulis, honoris causâ, ad generalem conventum equos trecentos pro munere daturos*, Adelmo Benedictino (n) attestante. His ita se habentibus, quis dubitaverit, conatos fuisse Francos Saxonibus Christianam fidem insinuare ejusque instillare amorem? Nemini non, puto, videbitur, Præsides ac Gubernatores, qui Francorum in Saxoniâ res curare in mandatis habuere, Christianos fuisse. An & Francorum Episcopos, quibus Longobardi, Burgundiones, imò & Angli suam conversionem maximam partem debent, in convertendis sive confœderatis sive subjugatis Saxonibus segnes dicemus stupidosque? An Reges Francorum populum,

lum, cujus duras cervices vix meliùs flecti posse animadvertebant, quam per Christianam Religionem, in idololatriæ pertinaciâ persistere concessisse, credendum est? Concludimus igitur, Saxones inde a tempore Clodovæi, ne ultra illum terminum eamus, adeoque tria minimùm integra Secula ante Carolum M. cum Francis arctissimum habuere consortium; hinc Christiana Religio ipsis adeò ignota esse non potuit, ut eidem addicti inter eos deprehensi fuerint fortè non pauci. Ideoque ante Caroli M. ætatem Saxones Christiani Winetæ degere potuerunt, sicque jam tum Slavis nostris Evangelium de Christo non amplius potuit esse ignotum.

(a) §. 18. p. 29. (b) Præfat. Metrop. (c) Chronogr. ad annum 499. (d) Lib. II. Hist. Cap. XXX XXXI. (e) Lib. I. de Gest. Franc. Cap. XV. XVI. (f) Tom. Scriptor. Rer. Germ. p. 720. (g) l. c. Cap XV. (h) l. c. Cap. XXIX. [i] Cap. XX [k] Lib. IV. Cap. XVI. (l) Lib. I. Saxon. C. XXXI. (m) l. c. Cap. XVIII. [n] Annal. Franc. Regg. ad An. 758.

§. XXIII.

Nec quidem est, ut omne Saxonibus convertendis ante Carolum M. impensum studium solis adscribamus Francis, quin etiam Anglos Britannosve sua manere laus & honor debeat. Josephum Arimathæum, qui Christi sepeliverat corpus, in Britanniam, sive casu sive consilio, cum non parvo comitatu, delatum, dogma Christi ibi sedulò docuisse, ut multi per hæc ad veram pietatem traducti baptizati fuerint, Polydorus Vergilius (a) scribit. Deinde idem (b) commemorat, quomodo Lucius Britannorum Regum primus An. Chr. 182. Christianus sit factus, operam commodantibus Fugatio & Damiano, qui ipsummet Regem cum suis populoque universo baptizarunt, ac sublato Dæmonum cultu, octo Episcopos tresque Archi-Episcopos instituerunt, ut Britannia inter omnes provincias prima publicè Evangelium receperit, templaque statim condiderit & opere magnifica & ornatu. Et quanquam Imperio Romanorum subjecta Seculo III. Diocletiani sævam persecutionem senserit, quâ Christiana Religio ita exinanita, ut admodum in paucis integra remanserit; Seculo tamen IV. Constantio imperante, Christianam doctrinam inter Britannos quoque, Imperatore ita curante & juvante, propagatam fuisse, Sozomenus (c) & cum eo Centur. Magd. (d) confirmant. Quanquam etiam postea Pelagiana

hæresis

hæresis puram doctrinam labefactarit; Gallorum tamen inter alios Episcopis cooperantibus eluctata rursus est, eodem Vergilio (e) attestante. Verbo: Britannia, si non integra, ex parte tamen, depositum doctrinæ Christi semper cum fide custodiit. Equidem & Saxonum incursiones ac intestina pariter atque cum exteris, præcipuè cum Gallis, bella sufflaminare ejus videbantur cursum; tantum autem abest, ut impedire eum penitùs potuerint, ut potius restaurata semper fuerit, ceu apud Sigebertum Gembl: (f) videre est, cui testimonio suo Abbas Urspergensis Conr. â Lichtenow (g) accedit; sicque non immeritò Gregorius M. missis in Angliam Augustino, Mellito, nec non Johanne cum aliis Dei servis, referente Aimoino, (h) gloriari potuerit: *Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat, quam barbarum frendere, nunc in Dei laudibus Hebræum novit Alleluja resonare.* Hæc Christianismi Anglorum ante Carolum M., de quo longe plura dici alias possent, commemoratio probandæ nostræ assertioni sufficere potest: Saxones non omnes ante laudati Imperatoris tempus â Christianâ Religione fuisse alienos. Ea enim tempora si cogitamus, Episcopos deprehendimus Gentium salutem anxiè sitientes, omnemque moventes lapidem, ut non conservarent tantùm, quantùm in ipsis erat, Christi Ecclesiam; sed & eandem prædicatione verbi augerent propagarentque. Nullum proinde mihi dubium est, quin Anglorum Episcopi in eo desudaverint primùm, ut advenas Saxones converterent, qui & suis domi relictis veræ Religionis insinuare potuerint notitiam. Quin &, stabilito suâ in insulâ qualicunque modo Christianismo, emiserint aliis populis viam salutis ostensuros, cur non mihi persuaderem? Equidem fateor, non constare id mihi expressè ex Historicorum monumentis ante seculum VII, eo autem ad finem vergente suum, duo Ewaldi, Presbyteri, quorum alter nigri, albi alter, â capillis sortitus cognomen erat, ex Angliâ venientes Saxonico populo prædicasse verbum salutis, post alios apud Meibomium (i) leguntur, quos verò id experiri infelicitatis oportuit, ut abs idololatriæ pertinaciter addictis hominibus, (sit venia verbo Sigeberti Gemblac. (k)) martyrizati sint, jussu tamen Pipini in Agrippinensi Coloniâ sepulti. Ex quibus denuo apparet, Saxoniam jam tum Evangelii luce collustratam quodammodo fuisse.

Quid multis? De statu Ecclesiæ sub Regibus Francorum, postquam Constantinus sedem Imperatoriam ex Italiâ in Thraciam transtulisset & cohortes limitaneas Rheno ac Danubio subduxisset, Schilterus (l) Annalium testimoniis suffultus scribere non dubitavit: *Transeuntes Rhenum pariter ac Danubium Germanorum coloniæ, Gothicæ, Francicæ, Longobardicæ, Saxonicæ, pleraque Religionem Christianam amplexæ fuere.* Vero ergo simillimum est, Winetæ Slavorum ante Carolum M. Saxones Christianos habitasse, adeoque nec ipsismet Slavis ad id usque temporis denegatam fuisse Evangelii de Christo prædicationem.

(a) Lib. II. Hist. Angl. p. m. 37. (b) l. c. p. 41. (c) Lib. I. Hist. Eccles. Cap. VI. (d) Cent. IV. Cap. II. p. 25. (e) Lib. III. p. 58, 59. (f) Chronograph. ad An. 734. (g) Chron. An. 577. (h) de Gest. Franc. Lib. III. Cap. LXXIV. (i) Tom. III. Rer. Germ. Orat. de Orig. Dign. & Off. Cancellar. Acad. (k) l. c. ad An. 693. (l) Lib. II. de Libert. Eccles. Germ. Cap. I. §. 3.

§. XXIV.

Ast iterum excipientem heic audire mihi videor: Hæc talia Pomeranorum quidem aliqualem, non autem Mecklenburgensium veterum arguere Christianismum posse, adeoque ab instituto nostro esse prorsus aliena. Verum quis ignorat, quæ tum temporis erat, Pomeranos inter atque Mecklenburgenses conjunctionem? Erant namque unus populus, cum quamdiu Vandali hasce tenebant terras, tum quando illis emigrantibus succedebant Slavi. Commune erat illis imperium, donceusque divisæ hæ regiones sunt, siquidem Herulorum ac Vandalorum Reges quicquid terrarum inter Visurgim ac Oderam interjacet sibi habuisse subjectum, communiter Historiographi fatentur. Communes quoque colebant Deos, ut Mecklenburgenses Swantevitum, ita Pomerani Radegastum, cui in Winetâ urbe, de quâ maxime hic loquimur, templum fuisse magnificè exstructum, disertè asseruit Engelhusius, (a) Micrælio (b) item adstipulante. Cur ergo dubitabimus, â Saxonibus, Winetæ civibus, vel etiam Slavis ejusdem loci incolis, Saxonum ope jam Christianis, Christianam Religionem inter nostros quoque Mecklenburgenses disseminatam fuisse, utque id fieret satis datum esse occasionis? Ut tamen propius ad nostras terras accedamus, etiam earum, qui fuere, inhabitatores jam ante Carolum M. a Francis Christianæ Religionis rudimenta hausisse, in dubium trahendum non est. Iuncti etenim fœdere â

longo

longo ante Carolum tempore inde Francis Noſtri leguntur. Videtur equidem Latomo, (c) Obotritas demum dicti Imperatoris ætate Francis confœderatos factos eſſe; cui tamen contradicit Eginhartus, (d) diſertè ſcribens: *Abodriti cum Francis olim* (videlicet ante geſtum â Carolo M. contra Wiltzos bellum) *fœderati erant.* Quem ſequitur Bangertus, *Obodriti Slavi*, inquiens, *jamdudum Francis fœdere junctæ fuerant.* Quoniam autem jam olim & jam dudum ante Carolum M. cum Francis fuerunt confœderati Noſtrates, ecquid dubii ſupereſt, illos, ut amicitiæ, ſic & Religioni Francorum multum tribuiſſe? Pondus procul dubio gravius huic collectioni addit odium Wiltzorum, quod in Obotritos ob Chriſtianam, veluti haud vanè Latomus (f) & Maſius (g) conjiciunt, Religionem conceptum continebant, perpetuæque incurſiones, quibus eò temporis usque eos laceſſebant, donec Carolus M. Obotritis ſuppetias laturus circa An. 789. expeditionem contra eos ſuſciperet, uti apud Reginonem (h) ac Eginhartum (i) videre licet. Nec minus robur inde illi accedere videtur, quod Carolus M. poſtquam Saxones trans Albiam habitantes cum mulieribus & liberis Anno 804. in Franciam transferri juſſerat, pagos Transalbianos Obotritis, quorum tum Traſcio vel Traſico, juxta Gemnitzii (k) computationem, Rex erat, habitandos dedit, quemadmodum ex Reginone (l) atque Sigeberto Gemblacenſi (m) cognoſcitur. Cur enim, quæſo! Saxones transportati? An aliam putas ob cauſam factum id fuiſſe, quam quod nimium in re Religionis luderent Imperatorem? Niſi igitur meliora is de Obotritis ſperaſſet, imò niſi bonam jam partem eos Chriſtianâ imbutos doctrinâ noviſſet, nunquam illis Saxonum conceſſiſſet terras. Neque omittendum penitus videtur, quod Oribertus vel Aritbertus II. Obotritarum ac Slavorum Rex conjugem Religione Chriſtianam ex Angliæ Regno, Regiâque proſapiâ, quæ, poſteaquam Filium Viſislaum enixa fuerat, Anno 728. puerpera vitam cum morte commutavit; duxiſſe Gemnitzio (n) memoratur. Quod ſi verum, aperto eſſe indicio poteſt, Mecklenburgenſes non amplius tum totos infenſos Religioni Chriſtianæ fuiſſe, ut eidem addictas ſibi præeſſe Reginas ſuamque Religionem exercentes paſſi fuerint. Quâ occaſione horum locorum populo iterum innotuit Chri-

 ſtianiſmus

ſtianiſmus itèrumquè. Atque ſic inter Mecklenburgenſes noſtros ſpeciatim Chriſtum notum fuiſſ. ante Carolum M. pateſcit. Specialiora autem heic â me de[illegible]deratum non iri, confido, utpote Annalium teſtimoniis de[illegible]tuto, quem ob defectum nec ipſos verbi Doctores, nec te[illegible]pora diſtinctè ſatis indicare valui. Interea tamen iſtud Crantzii (o) haud injuriâ meum facio: *in rebus obſcuris conjecturæ ſit locus.* Et: *Ubi deficiunt annales, ad conjecturas recurrere venia eſt & licentia.*

(a) Chron. edit. Mader. p. 69. (b) Lib. VI. Chron. Pom. §. VIII. (c) Genealo-Chron. Megap. MSC. Epoch. 6. (d) Vit. Carol. M. (e) Not. ad Helmold. Chron. Slavor. Lib. I. Cap. III. (f) l. c. ad An. Chr. 789. (g) Antiqu. Mecklenb. Cap. VII. p. 152. (h) Zib. II. Chron. An. 789. (i) l. c. (k) Genealo-Chron. Duc. Mecklenb. MSC. vit. Traſcon. (l) l. c. An. 804. (m) Chronogr. ad An. 803. (n) l. c. Vit. Oriberti II. (o) Lib. II. Vandal. Cap. XXII.

§. XXV.

Nunc verò ad illa accedemus tempora, in quibus major convertendis ad Chriſtianiſmum Mecklenburgenſibus noſtris adhibita cura fuit, longeque ſplendidiùs illis affulſit Evangelii lux. In his autem paulò brevior ſim, licebit, ex omninò multis notabiliora tantum eligendo, quandoquidem, quæ tam Caroli, quam inſequentibus eum temporibus in Chriſtianiſmi promovendi negotio ſuſcepta geſtaque fuere, in Adami Bremenſis Hiſtoria Eccleſiaſtica, Helmoldi Chronico Slavorum, Crantzii Metropoli, Marſchalci Thurii Annalibus Herulorum ac Vandalorum, Calovii (vel rectius Andr. Mylii) Chronico, alibique magis diſtinctè deſcripta occurrunt. Gentium ille domitor, Carolum indigito & geſtis & cognomento Magnum, non Saxonum ſolùm adegit gentem, quæ Chriſtianæ ſe Religioni ſubderet, fundatis octo, quot numerat Helmoldus, (a) vel juxta Chronicon Mindenſe (b) decem, connumeratis Hamburgenſi atque Magdeburgenſi, in Saxoniâ Epiſcopatibus; ſed Slavorum quoque ſalutis ſollicitam habuit curam. Et eam quidem tantam, ut Slavi primùm facti a Carolo Chriſtiani Adamo Bremenſi (c) dicantur. Id quod de univerſâ quidem gente ac notabili ejus converſione quam lubentiſſimè concedo. De Obotritis ſpeciatim certa res eſt, utpote quos Carolus M. fœdere ſibi junxerat. Credendum autem minime eſt, tam præpotentem Gentiliſmi Adverſarium pactionem cum illis prius feciſſe, quam ſub Chriſti

sti vexillo eos militantes noviſſet. Et par quoque tum ratio Wagriorum erat. De Obotritis audiamus Crantzium (d) ita ſcribentem: *Suſceperunt Obotriti, qui nunc Magnopolenſes honeſtato vocabulo dicuntur, fidem Chriſti ſub Carolo M. cui erant fœderati.* De Wagriis Evermotum: (e) *irrepſit*, inquientem, *Karuli tempore tenuis & obſcurus radius cœleſtis Numinis in Wagriam.* Præter quos etiam commemorandi ſunt Welatabi ſive Wilſſi, qui, juxta Bangertum, (f) conſtabant Circipanis, Kiſſinis, Redariis, Tollenſibus, adeoque Mecklenburgenſium pars erant, quos Carolus Anno 789. aggrediebatur, eam ob cauſam, *quod Abodritos*, cum Eginharto (g) loquor, *qui cum Francis olim fœderati erant, aſſiduâ incurſione laceſſebant, nec juſſionibus coërceri poterant; quosque ille unâ tantum & quam per ſe geſſerat, expeditione, ita contudit ac domuit, ut ulterius imperata facere minimè renuendum judicarent.* Conf. quoque Adelmus Benedictinus (h) atque Crantzius. (i) Num verò & hi tum devicti, accurante Imperatore converſi ad Chriſtianiſmum fuerint, Crantzius (k) duplici ex cauſâ dubitare videtur, partim quod Annales non præferunt, Religionis ab illo in pactis mentionem eſſe habitam; partim quod tam brevi populus ad Religionem cogi haud potuerit. Verùm non eſt, ut Carolum Wiltzos noſtros ad Chriſtianam Religionem ſuſcipiendam coëgiſſe propterea dubitemus, quem quibuscunque, quas devicerat, Gentibus, quod in eo laudant Centuriæ Magdeburgenſes, (l) Chriſtianiſmum commendaſſe, ex Saxonum, Freſiorum, Hunnorum inductione, in propatulo eſt. Quis ergo non crederet, idem eum apud noſtros Wendos fieri curaſſe? Cui majorem fortè fidem facit, quod, Carolum ad Slavos juſſiſſe Arnonem Epiſcopum Juvavienſem abire, & rudem populum docere veram Religionem, apud Centuriatores Magdeburg. (m) legimus. Erat itaque tum magna Mecklenburgenſium pars ad Chriſtianiſmum converſa.

[a] Lib. I. Chron. Slav. Cap. III. [b] Edit. Meibom. Tom. I. Rer. Germ. p. 559. [c] Lib. IV. Hiſt. Eccleſ. cap. XIII. [d] Lib. VI. Metrop. Cap. XXVII. (e) Chron. Epiſcopor. Aldenburg. ex edit. Paulini in Syntagm. Rer. Germ. p. 155. [f] Not. ad Helmold. Chron. Slav. p. 11. [g] Vit. Caroli M. [h] Annal. Francor. Regg. An. 789. [i] Lib. II. Saxon. Cap. V. (k) Lib. II. Vandal. Cap. XXIII. [l] Cent. VIII. Cap. II. p. 23. (m) l. c. p. 27.

§. XXVI.

Occurrunt heic nobis quædam, quæ quò specialiora, eò magis annotatione digna videbuntur. Circumfertur enim Wismariæ incerti cujusdam Auctoris Mſctum, quod vices Chronici Wiſmarienſis hactenus ſuſtinuit, in quo (a) hæcce leguntur: Anno Chriſti 789. hat Carolus M. die Wenden in einer groſſen Schlacht überwunden. Dieſe Schlacht ſoll geſchehen ſeyn ohngefehr eine kleine Meileweges Weſtwerts von Wiſmar auff einem ebenen Feld/ da/ wo jetzt das Dorff Proſecke iſt. Solches bezeugen die hin und wieder allda im Felde auffgeworffene Hügel / ſo ordentlich umbher mit groſſen Steinen umbgeben ſeyn/ die auffgerichtet ſtehen/ an ſolchen Oertern ſollen die erſchlagene Wenden begraben ſeyn. Auch iſt Oſtwehrts von dem Dorff ein Ort/ welcher noch heutiges Tages die Fünte i. e. die Tauffe genennet wird/ und iſt ein viereckigter Sumpff anjetzo/ im Acker gegraben/ an dem Wege nach Wißmar/ in ſelbigen ſollen die Heydniſchen Wenden getauffet ſeyn/ da denn die damahligen Prieſter den Wenden immer zugeruffen/ proſequere, proſequere, daher noch das Dorff den Nahmen hat. Auch ſeyn nicht ferne von der Fünte 3. kleine ſpitzige Hügel von Erde / die aus der Fünte gegraben auffgeworffen/ auff ſolchen Hügeln hat man damahls das Wort GOttes geprediget. Dieſe 3. Hügel ſind heute noch verhanden. Zween davon am Wege ſind mit Streuchen bewachſen / der dritte aber im Acker iſt noch gar bloß zu ſehen. Sunt in hac relatione, quibus fides non fruſtra addicitur. Nam eo anno Carolum Wilſſos debellaſſe, certum eſt, idque in Obotritarum terrâ factum, cur negemus? cum iſtos hos perpetuis incurſionibus vexaſſe, allegati Scriptores teſtentur, unde hîc terrarum cum illis manum conſerere Imperator potuit. Neque, magnum tunc Slavorum numerum, præeunte in doctrinâ Chriſtianâ inſtitutione, fuiſſe baptizatum, improbabile eſt. Quid vero ſibi vult illud: Proſequere? ex quo pago Proſecken inditum nomen dicitur? Anne Sacerdotes Chriſtianos Slavos, gentem barbaram, rudem, nullam literis operam dantem, imo infimam maximâ parte plebem, Latinis allocutos verbis credis? Vanam hoc potius reputamus conjecturam, quibus quorundam mos ſingula fermè nomina, ſi vel minima tantum vocum appareat ſimilitudo, protinus ex Græciâ Latiove derivantiũ totus improbatur totusque.

An

An enim Slavonica vel etiam Germanica lingua eâ tum vocum penuriâ laboravit, ut nec inveniretur, quod pago imponerent nomen? Tantum igitur abeſt, ut cum Latinorum ignaris latinè locutos ad Chriſtianiſmum proſequendum adhortantes credam, ut potius vero mihi ſimillimum ſit, adfuiſſe, præter Obotritarum Doctores, jam tum Chriſtianâ Religione imbutos, in comitatu Imperatoris, quorſumcunque arma proferebat, Gentilium converſionem anhelantis procurantisque, Sacerdotes linguam Slavonicam edoctos, ut cum Slavis Slavonicè potuerint miſcere ſermones. Equidem memini in Centuriis Magdeb. (b) me legere, Nicolaum Papam Rom. Cyrillum ac Methodium, apud Slavos & Polonos Eccleſiam plantantes linguâ populari Sacra peragendo, damnaſſe, poſteaquam conſtitutum erat, ut in Sacrorum adminiſtratione latinus adhiberetur ſermo; verùm ibidem etiam deprehendo, dictos Doctores Romæ in Synodo dicto Pſalmi: *Omnis Spiritus laudet Dominum & omnis lingua confiteatur ei*; Pontificem refutaſſe: quanquam ille nihilominus ſimulaverit, diſpenſatione quâdam & ἐπιεικείᾳ ſe Slavis largiri poteſtatem in ſuâ linguâ faciendi Sacra. Refert quoque Crantzius, (c) Boleslai Poloniarum Regis tempore in iſtud Regnum adventaſſe ex Italiâ nonnullos Chriſto deditos Sacerdotes, qui in gentibus Wandalorum pro Chriſto contenderant Evangelizare, ſed linguam gentis vernaculam, ſummo priùs ſtudio, perdiſcere conſtituiſſe, ne Interprete opus eſſet. Cur non etiam credamus, fuiſſe Carolo Sacerdotes Slavorum linguam callentes? Hiſtoriam autem factæ tunc temporis alicujus converſionis Mecklenburgenſium adeò non nego, ut eandem potius affirmem ac defendere in me ſuſcipiam.

(a) *P.* 1. 2. (b) Centuriâ IX. Cap. II. [c] Lib. II. *Vandal.* Cap. 29.

§. XXVII.

Interea tamen fieri non potuit, ut univerſi ac ſinguli, quos eâ tempeſtate alebat Mecklenburgenſis terra, totos ſe addicerent Chriſtianiſmo, omnemque deſererent idololatriam. Multos adhuc ultra tria integra ſecula idolis palam adhæſiſſe, alios non ſincerè, ſed vel ſpe commodi, vel periculi metu aliisve ex cauſis externo quidem ore Chriſtum profeſſos, corde autem Deaſtros ſuos proſequutos fuiſſe, ſuſpicor. Inde enim erat, quod

πρός-

πρόσκαιρον, tam subito sæpe defecere, ad Paganismum penitus relabentes. Quod si vitæ usura Carolo M. contigisset diuturnior, non priùs haud dubiè acquievisset, quam omnis hæcce terra Christi jugo subjecta fuisset, qualem curam universæ Saxoniæ convertendæ impenderat, nullo seculorum termino satis laudandam. Nihilominus morte illo ex conspectu hominũ decedente, Nostris convertendi se è tenebris ad lucem plus satis occasionis dabatur. Uti enim in Imperio, sic & curâ circa procurandam Gentilium salutem, quantùm fieri licebat, Carolo Patri succedebat filius Ludovicus cognomento pius. Is eam maxime hoc declaravit opere, quod Archi-Episcopalem sedem Hamburgi, ceu Progenitor ejus Carolus mente proposuerat, præposito ei Anschario, cujus conatus convertendi Gentes ad Christum ex ejusdem descriptâ vitâ (a) plenius legi potest; fundavit, *unde*, quemadmodum verba privilegii (b) habent, *omnes illæ barbaræ nationes*, sub quibus etiam Winedos atque Slavos comprehendit, *æternæ vitæ pabulum facilius uberiusque capere valerent, & sitientes salutis gratiam præ manibus vel oculis haberent.* Præterea laudatus Imperator Monasterium Corbejense è Picardiâ, celebris est Galliæ Regni regio, in Saxoniam transferri permisit, ut colonia quasi eruditorum Virorum ad procurandam Gentilium conversionem emittendorum esset, de quo Anonymus Auctor Historiæ de Translatione S. Viti & Nova Corbeja, (c) Theod. Engelhusius (d) ac Georg. Christ. Gebhardi (e) videri poterunt. Ex hocce Monasterio deinceps temporis in septentrionalia Danorum Sueonumque Regna non solum, sed & ad maris Balthici littora Monachi egressi leguntur, viam salutis Gentibus monstraturi. Horum quosdam ad Rugiam Insulam appulsos Christianum ibi dogma tradidisse, eòque deduxisse rem, ut templum illic erigeretur S. Viti memoriæ dedicatum, magno consensu Historici jam supra (f) citati comprobant, quibus hic addimus Auctorem Anonymum Annalium Corbejensium, (g) qui ex Cel. Paulini (h) conjecturâ Antonius Snackenburgius, Nobilis Cœnobita Corbejensis fuit, attestantem, quod Lotharius S. Vito, Monasterii sui Patrono, totam insulam Rugatensem cum omnibus rebus suis tradiderit in perpetuum. Dissensum Scriptorum in circumstantiis temporis ac personæ donantis conciliare Gebhardi (i) studuit, concludens nihilominus,

annum

annum conversionis accurate determinari non posse nec debere, factam interim donationem minimè negans. Eccur autem donatam Corbejensibus insulam credis? nisi ut incitamento esset, quò eò diligentius in conversione incolarum ejus desudarent, id quod procul dubio spontè promiserant ipsi. Et sic denuò Mecklenburgensibus prona fuit Christianismum amplectendi occasio, cum maximè probabile sit, Monachos de Corbeja, antequam ad Rugianos penetrarent, Slavorum terram hinc inde pertransiisse, ut quorsumcunque pedem ferebant quasdam saltem Christo animas lucrarentur. Affirmat id Helmoldus, (k) *temporibus Ludovici II.*, scribens, *egressi fuerant de Corveja Monachi sanctitate insignes, qui Slavorum salutem sitientes, impenderunt seipsos ad subeunda pericula & mortes pro legatione verbi DEI. Peragratisque multis Slavorum provinciis, pervenere ad eos, qui dicuntur Rani.* Nec etiam omni fide caret, Anglos Scotosque, quid heic terrarum eorum suasiones valerent, experiri tentasse, non secus ac in reliquam Germaniam gregatim adventasse Aventino (l) Lindenbrogioque (m) dicuntur. Attamen tantum abest, ut in Christianismo progressi fuerint Nostri, ut ne quidem in suscepto antè constanter persisterent, siquidem â Romano Imperio sæpè & unà â Christianâ fide defecerunt, adeò ut, uti de aliis, sic & de Nostris Auctor Historiæ Archi-Episcoporum Bremensium (n) scribere habuerit opus: *Post Ludovici I. mortem effera barbaries laxis regnabat habenis, & multiplicata sunt mala super terram. Tunc urbes cum civibus, Episcopi cum toto grege interfecti, Ecclesiæ illustres cum fidelibus incensæ sunt.* Tam perturbatus erat terrarum harum status, in quo, nullâ penè habitâ Christianismi ratione, ad Paganismum reversi sunt Mecklenburgenses tantùm non omnes. Duravit iste ad Henrici Aucupis imperium usque, unde quidem factum legimus, ut subindè bella adversus eos molirentur Imperatores inter Ludovicum I. & Henricum I. intercedentes, de quibus Sigebertus Gemblac. (o) Lambertus Schaffnab. (p) & Bangertus (q) videri poterunt; Ast adeò non stabiliebatur Christianismus, ut potius exulare his terris jussus fuerit. Non enim melius aliorum imperio se subtrahi posse rebantur, quam si eorum simul aversarentur ac rejicerent Religionem.

(c) Scripta à Remberto & Gualdone, in App. ad Lambec. Orig. Hamburg. Lib. I. (b) Edit. Mader. ad Ad. Bremens. p. m. 180. & Fabric. ad Hist. Archi-Episcop. Bremens. in Erpold. Lindenbrogii Tom. Rer. German. & Septentrion. p. 125. (c) Ed. Meibom. Tom. I. Rer. German. p. 763. (d) Chron. p. 761. (e) Disput. qua probatur Corbejam fuisse Matrem primæ Ecclesiæ Christianæ in Rugiâ §. I. & II. (f) §. XI. (g) An. 844. (h) Præfat. in Syntagm. Rer. & Antiqu. Germ. p. 366. (i) l. c. §. IX. & X. (k) Lib. I. Chron. Slav. Cap. VI. (l) Annal. Bojor. Lib. VI. p. 377. (m) Vita Caroli M. f. 157. a (n) Vita S. Reimberti Cap. V. (o) Chronogr An. 845. (p) De Reb. Germ. An. 858. (q) Not. ad Helmold. Chron. Slavor. Libr. I. Cap. XII.

§. XXVIII.

Sed nunc pedetentim sensimque appropinquare videbatur tempus, quo, DEo ita disponente, gens nostra hactenus miserrima feliciori cum successu ac majori curâ ad Christianam Ecclesiam perduceretur, rejecto abominabili idolorum cultu. Seculum namque X. maximè nobis idpropter memorabile est. Imperator quippe Henricus cognomento Auceps Slavis, ob excitatos contra jmperiũ Hungaros, bellum An. 925. circiter inferebat, victoriâque ab illis reportatâ, inter reliquos, etiam Obotritas, Wiltzos ac Retharios sibi tributarios fecit. Postmodum aliis eo implicito rebus, libertati suæ se vindicare nitebantur Nostri, unde reversus Saxonum exercitus tantam eorum edidisse stragem scribitur, ut ducenta millia hominum cæsa legantur. De quibus bellis Witichindus Corbejensis, (a) Büntingius, (b) & And. Angelus (c) videri poterunt. Non autem, partis illis victoriis, Christianismi ullam factam fuisse mentionem inter Gentiles nostros, dubitare sinit Reginonis (d) atque Sigeberti Gemblac. (e) testimonium, utroque, Henricum Danorum ac Obotritorum Reges Christianos effeciisse, asserente: Erat autem tum Mecklenburgensium Rex Mizislaus ejus nominis III. Regis vero exemplum secutos fuisse subditos, cur ambigamus, causæ nihil est. Imò verò apertè id asserit Angelus (f) verbis: Im 937. Jahr nach Christi Geburt am andern Tage des Heu-Monaths / starb der fromme und Löbliche Käyser Heinrich / welcher nach Carolo M. der ander gewesen / so diese Lande bestritten / mit Sachsen besetzet / die Christliche Lehr darin gepflantzet und ausgebreitet hat. Idem Micrælius (g) affirmat, descripto ante memorato bello, subjiciens: Darauff sind die Obotriter / Havellaner / Stoderaner und Wiltzen in Mecklenburg / Marck und Pommern dermassen zum Gehorsahm gebracht

bracht/daß sie dem Kayser nicht allein tribut, sondern auch sich tauffen zulassen zusageten. Idem ipse (h) unà cum Cramero id ex eo etiam confirmant, quod, cum equiria sive torneamenta Principibus indixisset Henricus, præter duos Pomeranorum Principes, Comitemque quendam Gutzkovienſem, etiam Wendorum Princeps Mistevojus, procul dubio primogenitus Mizislai III. iisdem interfuisse scribitur, ceu apud Münsterum (i) videre est; quos omnes Christianæ addictos fidei esse oportuit, quandoquidem inter Celetizontes, ut Plinii (k) verbo utar, nemo admittebatur, qui sive verbis sive factis â Christianismo se ullo modo profitebatur alienum, cum Münstero (l) iterum Büntingio (m) atteſtante.

(a) Annal. Lib. I. p. 639. Tom. I. Rer. Germ. Meibom. (b) Braunschweig und Lüneburg. Chron. vom Käyser Heinrich dem Finckler. f. 23. a. (c) Lib. I. Annal. March. Brandenburg. p. 38. seqq. (d) Lib. II. Chron. ad An. 931. (f) Lib. II. p. 45. (g) Lib. II. des alt. Pommerl. §. 33. (h) l. c. §. 35. (i) Cosmographh. Lib. III. p. m. 160. (k) Lib. XXXIV. Hist. Nat. Cap. VIII. (l) l. c. p. m. 1036. (m) l. c. fol. 25. a.

§. XXIX.

Multò plus autem ob introductum Christianismum Mecklenburgenses debebant Henrici Filio ac in Imperio successori, Ottoni, qui & ipse Magni promeruit cognomen. Hunc enim DEum ad instruendos & saluandos Slavos animasse motu plus quam heroico & plane divino Evermotus (a) scribere non dubitavit. Danos rebelles cum devicto eorum Rege Haraldo ad amplectendam Religionem Christianam coëgit, de quo vid. Adamus Bremenſis, (b) Helmoldus, (c) Saxo Grammaticus, (d) Crantzius, (e) Buntingius, (f) Dietericus (g) aliique. Sed & Slavos sub Rege Bilungo IV. circa An 949. defectionem ab Imperio molientes secundâ fortunâ adortus eâ virtute constringebat, ut & Christo & Imperatori fidem promitterent. Hinc missi ab illo sunt Sacerdotes, quibus tam feliciter res cessit, ut totus Gentilium cœtus baptizaretur, Eccleſiæque tunc primùm in Slavonia construerentur, testibus Adamo Bremenſi (h) atque Helmoldo. (i) Præter quinque enim alios Imperator etiam Aldenburgenſem in Wagriâ, quem solum heic indicasse nostræ tractationi sufficit, Episcopatum instituit, Hamburgenſium Archi-Episcopo, qui tum temporis erat Adaldagus, de quo vid. Historia Archi Epi-

scoporum Bremensium, (k) subiicendum, Evermoto (l) & Crantzio (m) attestantibus. Et huic Aldenburgensi Episcopo Imperator totam Wagriam cum omni Obotritarum terra usque ad fluvium Panim & urbem Demminum subdidit, quod Helmoldus (n) ac Euermotus (o) referunt. Sunt qui & hoc tempore Mecklenburgensem Episcopatum constitutum putant, Crantzio (p) indicante, ad quos etiam Büntingius (q) referendus est; ipse tamen Crantzius rectius aliis illud probabiliùs aliis temporibus ac Principibus attribuentibus subscribit. Aldenburgensi autem novæ Ecclesiæ præficiebatur, laudatis Auctoribus unanimiter asserentibus, primus Episcopus Marco. Quando verò Adamus Bremensis (r) Egwardum vel Edwardum primum dicit ab Adaldago Episcopum ordinatum, id non simpliciter, sed respectu tantùm factæ ordinationis intelligendum esse censemus. Hunc enim Historici ad unum, quod sciam, omnes Marconis successorem, adeoque Ildum ejus loci Episcopum numerant. Marco autem ille a Zelo multum laudatur, quem in instaurando Christianismo inter Wagrios ac Obotritos, quos, teste Helmoldo, (s) sacro baptismatis fonte lavit, insumsit. Dici quoque non potest, quanta iste, defuncto Marcone, per trium ejus successorum, Egwardi, Wagonis, & Eziconis, tempora sumserit incrementa. Præsertim Egwardo res prosperè successit, ceu indicat Evermotus (t) scribens: *Ædificabantur certatim â Wagriis, Obotritis & Kyssinis templa & monasteria, vocabantur undique & fovebantur Presbyteri, Monachi cum Sanctimonialibus, & dabantur iis nutrimenta sufficientissima in terra hac nostra benedicta, omnes villæ ac anguli resonabant hymnos & laudes DEI, ut piissimus Otto Imp. desuper exaltasse, DEumque in cœlis glorificasse dicatur. Adeo crescebat indies Religio & omnia succedebant prospere.* Quibus similia apud Cranzium (u) quoque leguntur. His etiam temporibus templum constructum fuit in civitate Mecklenburgo, in honorem Apostoli Petri, Monasterium virginum continens, quod non solum Helmoldus (x) & Marschalcus Thurius (y) testantur; sed & sequens de Bilungo Historia confirmabit. Et talis erat Ecclesiæ Christianæ in his terris per trium Ottonum Imperatorum tempora status, quare Helmoldus: (z) *crevit populus fidelium*, ait, *nec fuit aliquid quod novellæ Ecclesiæ adversaretur omni tempore Ottonum. Horum tres fuisse comperi, omnes pari devotione erga Slavorum vocationem affectos. Et repleta est*

omnis

omnù Wagirorum, Obotritorum, sive Kycinorum provincia, Ecclesiis, Sacerdotibus, & DEo dicatis Virginibus.

[a] Chron. Episc. Aldenburg. Edit. Paulini in Syntagm. Rer. & Antiqu. Germ. p. 155. [b] Lib. II. Hist. Eccles. Cap. II. (b) Lib. I. Chron. Slav. Cap. LX. (d) Hist. Dan. Lib. X. vita Haraldi Blaatand. p. 182. 183. (e) Lib. III. Sax. Cap. XXV. (f) Braunschw. und Lüneburg. Chron. vom Kayser Otten den Ersten f. 32. (g) Hist. Augst. vita Othonis M. §. 6. (h) l. c. Cap. III. (i) l. c. (k) Vita Adaldagi Cap. XII. (l) l. c. p. 157. [m] Lib. II. Vandal. Cap. XXX. [n] Lib. I. Chron. Slav. Cap. XII. (o) l. c. (p) Lib. III. Saxon. Cap. XXXVI. (q) loc. cit. f. 33 a. (r) Lib. II. Hist. Eccles. Cap. XVII. (s) l. c. [t] l. c. in vita Egvvardi p. 158. (u) Lib. III. Metrop. Cap. XXXIX. (x) Lib. I. Chron. Slav. Cap. XII. (y) Lib. II. Annal Herul. & Vandal. Cap. 26. (z) l. c.

§. XXX.

Haud tamen diffiteri possumus, per varios casus, de quibus Buntingius, (a) Latomus, (b) & Micrælius (c) prolixius videantur, Christianam in his terris Religionem concussam fuisse. Pertinet huc â Bilungo Rege excitatus motus. Erat Wagoni, III. Aldenburgensium Episcopo (Fallitur enim sive Mylius sive Calovius (d) eum Colonienſem Episcopum dicens, deceptus procul dubio verbis Marschalci, (e) qui Wagonem vocavit Antistitem Coloniæ antiquæ Chersonesi, non attendens, Coloniam heic proprium loci nomen non esse) Soror facie venusta pulchraque admodum, nomine, juxta Latomum, (f) Christiana, quam Bilungus deperibat, ac ut in matrimonium sibi daretur Fratrem assiduis defatigabat precibus. Domum tandem eam ducebat, eâ conditione, ut ipse Christiano subscriberet dogmati ac baptizari se permitteret. Christianum igitur se exhibebat ad tempus vel saltem simulabat, non abnuens, ut suscepta ex posteriori hac Conjuge filia, Hodicæ nomen ei erat, â Wagone cœnobio Mecklenburgensi Abbatissa præficeretur. Ast filius ejus Mizislaus odio novæ Religionis concitatus indignè illud ferens Genitori, qui illatam antea sibi injuriam ulciscendo & Conjugem Christianam repudiaret, & filiam votis monasticis ligatam atque constrictam solveret, assiduus suasor erat. Nec deerat tandem filii desideriis Pater, postquam omnibus suarum ditionum prædiis Affinem Episcopum vel vi vel fraude exuerat, Sororem illi remittendo permittendoque filio, ut sororem, quandocunque libuerit, cœnobio extraheret, qui eandem etiam postea temporis Boleslao Polonorum Duci nuptum elocavit. Quæ omnia apud Helmoldum, (g) E-

vermotum; (h) Büntingium, (i) Latomum, (k) Geminitzium, (l) Trog. Arnkielium (m) pluribus descripta legi possunt. Marschalcus Thurius, (n) his etiam relatis, talem rei exitum describit: *mox conversis in Christicolas armis loca circumcirca universa sacra prophanavit, legibus Christianismi rejectis, mori in Majorum caremonia pratulit.* Nec melior fuit Christianismi in his oris status regnante Mizislao, quem Marschalcus (o) talem depingit: Erat *idololatria ab incunabulis mancipatus, & fidei inter hac affectis omnibus savus perinde ac truculentus.* Quæ satis indicant, qualia tunc fata fuerint Religioni. Pejora autem longè erant, quæ illi contigere Seculo insequente XI. Patrem videlicet in Regno sequebatur filius Mistevojus, ob fortia & heroica gesta, Gigas fortissimus appellitatus, qui Bernhardo Saxoniæ Duci, expeditionem contra Imperatorem Henricum II. suscipienti, militibus suis se conjungebat, Sororem stipendii loco abs eo, sicuti promiserat, Conjugem sibi expectans. Quæ cum, finita expeditione, dissuadente conjugium Theodorico, Marchione Brandenburgensi, Mistevojum contumelioſè canem Henetum vocante, illi denegaretur; ipse irâ efferveſcens â Fratre Mizidracho universâque Slavorum gente, ut injurias vindicaturo opem ferrent, petebat. Hâc impetratâ Anno 1020. Marchiam Saxoniamque invadebat, barbarâ undique sæviens atrocitate. Et quam ibi Mistevojus exercebat crudelitatem, frater Mizidrachus in Holsatiâ & Wagriâ æmulabatur. Hamburgi namque incolas Christianos alios in captivitatem abducebat, alios trucidabat. Aldenburgo, præsertim Folckwardi, Episcopi tempore, vastato, presbyteros, quorum ibi magnus alebatur numerus, more pecudum ad mortem rapiebat, LX. ludibrio servatis, qui, capitis cute ad formam crucis ferro incisâ, ligatisque post terga manibus, per civitates Slavorum, donec deficerent, crudeliter verberati trahebantur. De quibus iterum Helmoldus, (p) Marschalcus, (q) & Latomus (r) videri poterunt. Sic ergo omnes Slavi inter Albim & Oderam, quos inter per LXX. circiter annos viguerat Christianismus, ab Ecclesia iterum sese sejungunt. Et quanquam postea ipse Mistevojus ad fidem rediens nunc idola removendo, nunc vastata & collapsa Monasteria templaque restaurando, nunc, si Latomo (s) atque Weinrichio (t) credere fas est, quod apud alios tamen

Aucto-

Auctores me legere non memini; concionēs sacras de Religione ad populum publicè habendo, magnam recolligendis Ecclesiis diligentiam adhiberet; mox tamen Regno cedere ab infidelibus coactus parum efficere potuit. Ita & omne ab Episcopis Aldenburgensibus huic negotio impensum studium frustraneum prorsus fuit. Audiamus Evermotum (u) continuas querimonias jactantem: *Folkwardus præter lacrumas & suspiria nil dare potuit amplius. Quæ poterat egit, monendo, rogando, obsecrando per DEum & omnes Sanctos ut modestiùs & mitiùs agerent. DEum certò ulturum, si quæ injustè facta forent. Verùm cum nihil proficeret, rebus magis magisq; perturbatis ac conclamatis, coactus est abire in Norwagiam.* Nec felicior sequentium Episcoporum, Rimberti, Bennonis, Meigneri, & Abelini insumto labori contingebat successus, eodem Auctore (x) describente. Tantum in Religionem Christianam conceptum odium tum continebant Slavi, ad Henrici III. Imperium usque.

(a) Braunschw. und Lüneb. Chron. Part. I. fol. 37. sequ. (b) Genealo-Chron. Megap. MSC. An. 917. ad 984. (c) Lib. II. Chron. Pomer. a §. 36. ad 43. [d] Chron. der Hertzogen zu Mecklenburg vita Bilungi. [e] Annal. Herul. & Vandal. Lib. II. cap. 26. [f] l. c. [g] Lib. I. Chron. Slav. Cap. XIII. & XIV. (h) Chron. Episcop. Aldenb. vita Wagonis. [i] l. c. f. 476. [k] l. c. An. 985. (l) Genealog. Duc. Mecklenb. MSC. vita Bilungi IV. [m] Cimbrische Heyden-Bekeh. Lib. V. Cap. III. §. 6. (n) loc. cit. (o) l. c. Cap. XXVII. [p] l. c. Cap. XVI. [q] l. c. Cap. XXIX. (r) l. c. An. 1022. [s] l. c. vita Mistevoji (t) Orat. de Ideâ Boni Principis illustrata encomio Duc. Megap. hab. Lipsiæ An. 1604. quâ Adolpho Friderico Duci Mecklenb. gl. m. Rectoratum & Sceptra Acad. Lipsi. tradidit. (u) l. c. vita Folckvardi & seqq. [x] ibid. in vitis eorum.

§. XXXI.

Sub hoc iterum Imperatore meliora redirè tempora videbantur. Godeschalcus namque Udonis Regis Filius a tenerâ ætate Luneburgi in verâ doctrinâ institutus, comperto in Parentem â Saxone quodam, Religione quamvis Christiano, commisso parricidio, necis paternæ ultor initio quidem maximas per Holsatiam, Stormariam, Dithmarsiamque Christianorum dederat strages, de quibus vid. Helmoldus, (a) Crantzius (b) & Latomus; (c) postea verò, recuperato integro Regno, subditos suos ut Christo iterum subjiceret, strenuè allaboravit. Non satis conquirere laudum, quibus hunc Regem extollerent, Auctores

res potuisse videntur, quem alterum Macchabæum salutat Helmoldus, (d) alii aliis titulis condecorant. Et ejusmodi honorem ipsum omninò meruisse, gesta ejus docent. Sacerdotes enim, curante eo, undiquaque conscribebantur, reædificabantur per omnem Wagriorum, Polaborum, Obotritarum, Kissinorum ac Circipanorum regionem Ecclesiæ sive dirutæ sive collapsæ, & ubique terrarum harum præfulgere videbatur Evangelii lux, ac resonare audiebatur salutaris de Christo unico mundi Salvatore doctrina. Leguntur hoc tempore Aldenburgi, Lubecæ, Raceburgi, Leontii & alibi erecta Monasteria, triaque in urbe Mecklenburgo instituta Collegia, pro informandâ in verâ doctrinâ juventute. Cumprimis memorandi sunt tres horum locorum Episcopatus. Præerat Ecclesiæ Hamburgensi tum Archi-Episcopus Adalbertus sive Albertus, ut elati animi Vir, ita Titulum Patriarchæ affectans, testibus Evermoto (e) & Auctore Historiæ Archi-Episcoporum Bremensium, (f) atque sic duodecim suæ inspectioni subjacentes Episcopatus desiderans. Is igitur cum Godeschalco, quo cum familiarissimè vivebat, eò rem direxit, ut non Aldenburgensis solùm Episcopatus restitueretur, præposito ei Eyzone; sed & præterea novi exsurgerent Razeburgensis, cui Aristonem Hierosolymitanum præficiebat; atque Mecklenburgensis, qui Johanni Scoto cedebat. Vid. de hisce præter allegatos, Adamus Bremensis, (g) Helmoldus, (h) Crantzius, (i) Marschalcus, (k) Latomus, (l) Gemnitzius, (m) Calovius, (n) Arnkielius, (o) & quicunque alii de rebus Mecklenburgicis eorum temporum commentantes. Præ omnibus memorabile est, id quod in perpetuam ejus memoriam modò dicti Scriptores unanimiter commemorant, quià fortè tam multi non suppetebant verbi Præcones linguæ Slavicæ gnari, ut in eâ erudire rudem in doctrinâ Christianâ populum possent; ipsummet Regem Godschalcum prædicantibus saxonicè Sacerdotibus adstitisse, & quidquid illi proposuerant salutaris doctrinæ in linguâ plebi ignotâ Slavicè reddidisse, quò & intelligerent rectiùs & libentius reciperent annunciatum illis verbum salutis. Hinc de eo Ernestus v. Kirchberg: (p)

Dem

Dem waren so vyl tugent by/
Wo dy Phaffen Predeky
Hielden den gemeynen Lüden
Dy kunde alle Godschalk düden/

Den Wenden uf ir wendischen Sprach
Sus predigte her den Phaffen nach
Und kunde der groben Lüde leben
In Wendischer sprache lere geben.

Hunc autem florentem in Mecklenburgicis terris Ecclesiæ Christianæ statũ insecuta subitò est miseriarum plenissima Catastrophe. Cum enim Bernhardus Saxonum Dux, qui Slavos suis hactenus detinuerat finibus, diem vitæ clausisset, hi rebellantes primùm ipsum Godschalcum An. 1066. Leontii ad altare, ex quo S. concionem de verâ Religione ad populum habebat, cum Sacerdote Eppone aliisque multis tam Clericis, quam Laicis Christianis trucidarunt. Præterlapsis vix V. mensibus, Raceburgi Ansverum Monachum multosque ejusmet Auditores lapidarunt. Mecklenburgi Episcopum Johannem duris verberibus cecidere, ut spectaculo esset populo, per terras undique secum pertractum. Tandem, ut finem facerent fabulæ, Christianismum abjurare recusantis, dicti anni d. X. Novembr. cædem horrendam confecere, corpore truncatis manibus pedibusque per plateas urbis Rhetræ raptato, caput abscissum contoque infixum victimam Deo suo Radegasto obtulerunt. Dein demoliebantur monasteria, templa diripiebantur, Episcopatus Mecklenburgensis, qui IV. vix annos steterat, nam An. 1062. conditus legitur, funditùs evertebatur. Syritha, Latomus (q) Symbullam vocat, vidua Gotschalci, ex Regiâ Danorum prosapiâ oriunda, Mecklenburgi adhuc demorata, omnibus licet gelu rigentibus, vestibus exuta cum ceteris Virginibus monasticis abire jubebatur. Ut multa Christianorum millia partim trucidata, partim in captivitatem abducta silentio prætream. Ita relapsi in Paganismum sunt Meckleburgenses, adeò, ut ab eo tempore neque Aldenburgum neq; Mecklenburgum intra LXXXIV. annorum spatium, ad tempus usque Conradi III, seculi XII. meridie appropinquante, viderit Episcopum. Conf. citati Auctores, & præterea Crantzius, (r) Petersenius, (s) nec non Bernh. Hedericus. (t)

(a) Lib. 1. Chron. Slav. Cap. XLX. (b) Lib. II. Vandal. Cap. XLVII. (c) Genealo-Chron. Megap. MSC. ad An. 1041. (d) l. c. Cap. XXII. (e) Chron. Episc. Aldenb.

denb. Vita Eyzonis. (f) Vita Alberti I. Cap. XVIII. (g) Hist. Eccel. Lib. III. Cap. XXI. seqv. (h) l. c. Cap. XX. XXII. XXIII. & XXIV. (i) Lib. III. Vandal. Cap. II. & seqq. (k) Lib. II. Annal. Herul. ac Vandal. Cap. XXXI. (l) l. c. Vita Gotscalci. (m) Geneal. Duc. Megap. MSC. Vita Gotschalci. (n) Chron. der Hertzogen zu Mecklenb. vita Gotschalci. (o) Cimbrische Heyden-Bekehr. Lib. V. Cap. IV. §. 3. 4. (p) Chron. Mecklenb. Rythmic. MSC. Cap. XXII. (q) l. c. (r) Lib. III. Metrop. Cap. III. Lib. IV. Cap. XLIV. (s) Holsten Chron. Part. I. p. 24, 25. (t) Verzeichniß der Bischöffe zu Schwerin in Mecklenburg MSC. Hist. Johannis Episc. Mecklenb.

§. XXXII.

Et nunc pauca occurrunt, quæ de Mecklenburgensium Christianismo referre habemus, in turbulento illo Patriæ nostræ statu sub Critone Rugensi, Regni invasore, Tyranno, Christi hoste infensissimo, nec Saxonibus, uti eos decebat, legitimis hæredibus debitam ferentibus opem, de quo Crantzius (a) graviter conquestus est. Utut autem Henrici, Godschalci filii, patrium solium, interemto injusto ejus possessore, rursus recuperantis temporibus ultimis meliora sibi promittere fata inter Nostros Christianismus poterat, cum Rex Vicilino, ejusque comitibus, Rudolpho Hildesheimensi, ac Ludolpho Verdensi, potestatem concesserat prædicandi Evangelium in veteris Lubecæ templo, quod unicum tunc circa An. 1106. referentibus Helmoldo (b) atque Crantzio, (c) in totâ Wandaliâ supererat; haud tamen diu hac felicitate frui licuit, Henrico non multò post defuncto; quare dictos verbi præcones iterum retrocedere oportebat. Interea memorandus nobis est, cum Boleslao Polonorum Rege, Otto Bambergensis Episcopus, cujus vitam integrè descripsit Andreas Abbas Bambergensis. (d) Quando enim iste universam, quæ cis oderam ipsi erat, Slaviam sibi tributariam reddebat, teste Helmoldo, (e) tum hic eandem Sacris Christianis ut initiaret, strenuam operam navabat. Neque promeruit tantùm, ut vel hodienum Pomeranorum solummodò Apostolus salutetur, utpote quorum conversionem instantissimè procuravit, quod apud Cramerum (f) prolixius legi potest; sed & patria nostra habet, de quo gratias ei agat in perpetuum. Id autem edisseremus Kantzovii (g) verbis: So hat S. Otto auch seinen Archidiaconum Sieverdt und Albin gehn Demmien geschickt/ dieselben haben das Volck gar willig befunden / bekehret und getaufft. Desgleichen die zu Loytz uñ Trebetaw/ welches jetzo Treptaw an der Tol-

lense

lense heisset/ und haben ihnen alda allen GOttes-Dienst und Kirchen-Gebrauch angerichtet/ und seyn dieselbe also fortan gehn Alten Stargardt und Güstrow gezogen/ und andere Oerter/ das jetzt das Land zu Wenden heisset/ und haben dieselben auch bekehret. Quæ itidem Cramerus (h) atq; Micrælius (i) de superfluo confirmant, sicuti & eandem Güstrovienſium converſionem, cui S. Otto occaſionem dederat, Clariſſ. Dn. Thomas (k) deſcriptam exhibet. Scilicet, quorſum ipſe Otto penetrare, ob ingravescentem ſenectutem, non valebat, eò alios fideles Comminiſtros amandabat. Sed ad Vicelinum revertimur. Is etiam ſequenti tempore, & præſertim quando Aldenburgenſi Eccleſiæ Epiſcopus datus erat, nil quidquam omittebat eorum, quæ reſtaurando in his terris Chriſtianiſmo conducere judicabat. Inter alia id ex eo etiam manifeſtum fit, quod Imperatori Lothario, cum fratres Pribislaus Obotritarum ac Nicolotus Wagriorum ac Polaborum Reges omnem populum ad Gentiliſmum reducere conarentur, Chriſtianosque peſſime haberent, ſuaſor præcipuè exſtitit, qui caſtrum in monte Segeberg exſtrueret, domandis Slavis inſerviturum. Quodque, poſtquam Pribislai favorem utcunque ſibi conciliaverat, Lubecæ Ludolphum, Hermannum, Brunonem, Sacerdotes inſtituit, qui vel nutantes in fide corroborarent, vel relapſos reducerent. Plura de Vicelino apud Helmoldum, (l) Crantzium, (m) Evermotum, (n) Albert. Grummendyckium, (o) Peterſenium, (p) Auctorem Hiſtoriæ Archi-Epiſcoporum Bremenſium (q) & alios, qui cupit, legere poteſt.

(a) Lib. III. Vandal. Cap. VII. (b) Lib. I. Chron. Slav. Cap. XXXIV. (c) l. c. (d) Edit. à L. Valer. Jaſchio Colbergæ An. 1687. (e) Lib. I. Chron. Slavor. Cap. XV. (f) Pomm. Kirchen-Chron. Lib. I. Cap. XIV. ſequ. (g) Chron. Pom. MSC. Lib. I. f. 102. (h) l. c. Cap. XXXII. (i) Lib. II. des alten Pommerland. §. 69. (k) Analect. Guſtrov. Period. I. §. 12. ſeqq. (l) l. c. Lib. I. Cap. XLI. ſeqq. (m) Lib. VI. Metrop. Cap. XI. ad XXVIII. (n) Chron. Epiſc. Aldenb. Vita Vicelini. (o) Chron. Epiſc. Lubec. Vita Vicelini Ap. Meibom. Tom. II. Rer. Germ. p. 394. (p) Holſten-Chron. Lib. I. Cap. XXXIII. (q) Vita Adalberonis Cap. XXII. In Lindenbrog. Scriptor. Rer. Germ.

§. XXXIII.

Deventum ita nunc eſt ad ea Patriæ noſtræ feliciſſima tempora, quibus Chriſtianiſmo tota tandem imbuta eſt, & â quibus inde conſtantem illi præbuit ſedem. Poſtquam Canutus, è Danicâ ſtirpe, qui terras haſce inde ab An. 1135. jurene an injuriâ?

nunc disquirere non licet, hactenus possederat, vitam commutarat cum morte, An. 1146. suis restituebantur Pribislaus ac Nicolotus fratres, Butes Regis filii, Godschalci Pii nepotes. Quoniam vero omnem exstirpare Christianismum minabantur, Henricus Dux Saxoniæ acBavariæ, cui heroica gesta Leonis pepererunt cognomentum, exercitu cruce signatorum, ad sacrum, ut vocabant, bellum destinato stipatus in Mecklenburgenses armis conversis varia cum illis prœlia committebat, in quibus ingens prosternebatur Slavorum numerus. Quin & Nicolotum, qui ex fratribus supererat, postquam urbes ac arces, in quibus parum præsidii haberi judicabat, ipsemet spontè vel deflagraverat, vel solo æquarat, in Werlam, arcem ad Varnum munitissimam, confugientem obsidebat. Tandem & is in hostes pabulabundos erumpens hastâ confossus cecidit. Tum Henricus Leo, cujus in manibus erat, quicquid ditionum adhuc possederant Reges nostri, victor ita rem disponebat, ut alia exsurgeret ac quasi nova terrarum harum facies. Terram namque Polaborum Bernhardo ex Ascaniorum Comitum familiâ, Wagriam Adolpho Cimbriæ Comiti assignabat. Swerino cum toto tractu, qui Comitatus Swerinensis dicitur, Guntzelinum, impositio Comitis titulo, donabat. Ceterâ Obotritarum terrâ inter fideles suos distributâ, Dominio directo sibi reservato. De quibus omnibus Helmoldus, (a) Crantzius, (b) Marschalcus, (c) Petersenius, (d) Latomus, (e) Büntingius, (f) Calovius (g) aliique legi poterunt. Neque negligebatur Christianismi propagatio. Quandoquidem enim omnis terra hæcce per continua bella indigenis exhausta erat, aliis hostiliter trucidatis, aliis fugâ in interiorem Slavoniam sibi consulentibus, aliis ad Danos Pomeranosve profugis, sed ab illis, exuta ferè humanitate, Polonis, Sorabis atque Boëmis in servitutem venditis, Helmoldo (h) atteſtante; conscribebantur undique ex Saxoniâ, Fresiâ, Flandriâ, locisque aliis, qui eandem colerent ac incolerent, datis privilegiis non contemnendis. Inde hæ regiones Christianis implebantur. Vacuæ Episcopatus Aldenburgensis sedi An. 1154. Geroldus præficiebatur, eoque sedente abs Henrico Duce An. 1163. Evermoto (i) teste, Lubecam transferebatur. Restaurabatur quoque Episcopatus Razeburgensis, dato ei Episcopo Evermodo; ut & Mecklenburgensis, qui, post defun-

functum Emerhardum An. 1130. ei præfectum, quem Auctor Historiæ Archi-Episcoporum Bremensium (k) Suchardum vocat; Bennone vel Brunone Episcopo, An. 1170. Mecklenburgo bellis desolato Swerinum translocabatur, ac sequente Anno, V. Idus Septembris Christo, Virgini Deiparæ, Johannique Evangelistæ magnâ cum solennitate dedicabatur, de quo Hedericus (l) videndus est. Fundationem ejus Lindenbrogius, (m) Chytræus, (n) & Maderus, (o) exhibent, in nonnullis exigui tamen momenti ab autographo in Archivo Ducali Swerinæo asservato differentem. Sed nec, qui superabant, Slavorum Henricus oblivisebatur, quin eos in sacrâ doctrinâ institui, sacroq; regenerationis lavacro ablui curaverit. Audiamus Hedericum: (p) Auch ist die gemeine Sage/ daß Hertzog Heinrich Leo/ umb diese Zeit/ die Unchristen bey tausend in die Schwerinische See/ nicht weit von Fichel treiben/ und allda vom Bischoff Benno tauffen lassen/ darvon der Ort den Nahmen bekommen/ und biß anhero behalten/ und die Töpe genant wird. Und daß sie sich des Nahmens Christi/ und seines Creutzes und Todes zu ihrer Seligkeit alle Augenblick zu erinnern/ und zu wissen hetten/ hat gemelter Hertzog das Brod in der form/ wie es noch zur Wißmar/ und eines theils in andern Stedten gebreuchlich/ Creutzweise zu backen befohlen. Quæ omnia in dubium simpliciter trahenda non sunt. Et per eadem hæcce tempora etiam Waldemarus I. Danus, Henrico Leoni confœderatus, Rugianos subjugatos ad Christianismum converti fecit, quam Historiam Saxo Gram. (q) & Crantzius (r) prolixissime descripserunt.

[a] Lib. I. Chron. Slav. Cap. LXII. sequ. [b] Lib. IV. Vandal. Cap. XXXI. sequ. [c] Lib. II. Annal. Herul: ac Vand. Cap. XXXVIII. XXXIX. [d] Holsten. Chron. Part. II. p. 38. sequ. (e) Genealo-Chron. Megapol. Msc. vita Pribislai (f) Braunschweig und Lüneburg. Chron. Part. I. von Hertzog Heinrich den Lewen f. 65. sequ. (g) Chron. der Hertzogen von Mecklenb. vita Pribislai I. & Nicoloti (h) Lib. II Chron. Slav. Cap. V. [i] Chron. Episc. Aldenb. vita Geroldi. (k) Vita Hartvvici Cap. XXIII. (l) Verzeichniß der Bischöffe zu Schwerin in Mecklenburg. MSC. vita Everhardi. [m] Tom. Script Rer. Germ. Septentrional. inter Privilegia Archi-Ecclesiæ Hammaburg. num. 19. (n) Contin. Vandal. & Saxon. Alb. Crantzii p. m. 8. sequ. (o) Antiqu. Brunsvvic. p. 234. sequ. (p) Chron. Svverin. pl. d. f. 4. b. [q] Hist. Dan. Lib. XV. Vita Waldemari. (r) Vandal. Lib. V. Cap. 12. sq.

§. XXXIV.

Est vero & nostrorum Regum mentio facienda. Superérant namque Pribislaus II. ac Wertislaus, Nicoloti Filii, quorum minor natu idolorum suorum cultui pertinaciter adhæsisse, tandemque truculentâ morte, Henrico Leone jubente, periisse apud Helmoldum (a) atque Marschalcum (b) legitur. Ast Pribislaus, postquam sacris doctrinæ Christianæ initiatus, ac â Geroldo, non Colonienſi, ut iterum falsò habet Calovius, (c) quia & heic Marschalcus (d) Aldenburgum antiquam Chersonesi coloniam vocat; sed Aldenburgensi Episcopo baptizatus, Voislavam, Waldemari I. Danorum Regis sororem in conjugium obtinuerat, quod Christianismo adversum esset, molitus haud deprehenditur, ut potius promotioni ejus gnaviter incumberet. Refert Saxo Gram. (e) eum apud affinem Waldemarum commorantem, cum Parentis Nicoloti interitum inaudiret, initio parumper quidem perturbatum, mox autem consuetâ oris ac mentis hilaritate dixisse: *DEi contemtorem tali exemplo interire par esse, neque se ejus Filium censeri velle, quem maximi sceleris parentem extitisse constaret.* Huic autem narrationi ut fidem denegemus, suadet Helmoldi, (f) Scriptoris coætanei ac in gesta ejus temporis accuratè atque sollicitè inquirentis, auctoritas, qui utrumque Filium Patri in arce Werlâ obsesso ac succumbenti præstò fuisse testatur. Ceterùm Pribislaus, qui juxta cum Fratrueli suo Nicoloto II. aliis III. numeratur, connumerato Nicoloto I. Anadragi Regis Filio, qui in ipso juventutis flore efflоruerat; angustis admodum pomœriis includebatur, dum ex omnibus, quas tenere debuissent, ditionibus præter Kissinorum ac Circipanorum terram nihil iis relictum erat, aliquoties in Henricum Leonem ejusque constitutos Comites bella redintegrabat, non in eversionem Christianismi, sed ut, quæ sibi suove Fratrueli ex paternâ avitâque hæreditate deberi arbitrabatur, Regna recuperaret. Postea autem temporis, ex quo Henrico reconciliatus, omnem Obotritarum terram, excepto Comitatu Suerinæo receperat, Duci & amicis ejus securitatem fidelitatis fecit, quemadmodum Crantzius (g) loquitur, nulla deinceps bellorum tempestate divellendam. Et ab eo tempore Pribislaus verè Christianus, quod vel ex ejus peregrinatione cum Henrico Leone in terram Sanctam An. 1172. susceptâ, quam Crantzi-

us

us (h) magnificis verbis descripsit, colligitur; Christianismo colendo ac propagando seriò incumbebat. Quæ abs Henrico Leone reiDivinæ dedicata fuerant, universa publicè rata censuit ac firma. Waldemaro Rugianos conversuro copiis suis adfuit. Fratrueli Nicoloto Christianum dogma persuasit. Rostochium, erat tum sola vetus Urbs, ex ruderibus desolatæ urbis Kissini evectum ac communitum legibus ac Christianâ præsertimReligione imbui curavit, arce, quæ in monte orientem versus exstructa erat, in templumDD. Petri & Pauli conversâ. Facta hæc Lindenbergio (i) dicuntur circa An. 1160. de quibus itidem Crantzius (k) conferendus est. Cumprimis Dobberanum sibi habuit curæ. Id enim, suadente præsertim Bennone Episcopo Suerinensi, Monasterium Cistercienſis Ordinis esse voluit, prædiis sufficientissimis ditatum. Referunt aliqui structuram hanc ad An. 1164. rectius vero alii ad An. 1170. quo inchoata & insequente proximo absoluta, ceu in templo adscripti versus testantur:

Annus millenus, centenus, septuagenus
Et primus colitur, cum Dobbran struitur.

Quoniam vero Pribislao Regi Luneburgi An. 1178. in ludo equestri sinistro fato è mortalium medio sublato non omnia peragere licuit, Filio Henrico Burevino I. cetera perficienda reliquit, qui non modò Dobberanense Monasterium, â reliquiis Slavorum Gentilium iterum destructum, An. 1186. restauravit; sed & Monasterium Campi solis, Sonnen-Kamp/ nomine veniens erigi fecit. Fundavit item An. 1222. Gemnitzio (l) attestante, Cœnobium Dobbertinense, ac templum Tempzinense in memoriam S. Anthonii, unde locus procul dubio vel hodienum plebi inter nos Tönnies-Hoff nuncupatur. Sed hæc propagationem Christianismi in Mecklenburgo spectantia aliis, cuicunque libuerit, cedo.

(a) Lib. II. Chron. Slav. Cap. IV. (b) Lib. II. Annal. Herul ac Vand. Cap. XL. (c) Chron. der Hertzogen zu Mecklenb. Vit. Pribislai II. (d) l. c. (e) Lib. XIV. Hist. Dan. p. 392. 395. (f) Lib. I. Chron. Slav. Cap. LXXXVII. (g) Lib. V. Vandal. Cap. VIII. (h) Lib. VI. Saxon. Cap. XXIX. seqq. (i) Chron. Rostoch. Lib. II. Cap. I. (k) Lib. V. Vandal. Cap. VII. (l) Geneal. Duc. Megap. MSC. Vita Henrici Burevini I.

§. XXXV.

§. XXXV.

Vidimus hactenus, quantum curarum ac laboris introducendo inter Gentiles Mecklenburgi inhabitatores Christianismo insumtum sit, quantum impensum sit frangendæ eorum in idololatrico cultu persistendi pertinaciæ bellorum sanguinisque humani. Credebant jam â multo tempore circumjacentes populi dogmata Christiana, soli Slavi refractariè retinebant nefarium Dæmonum cultum. Quis ergo non in causas ejus inquireret, cur adeò obstinatè avitæ inhærere religioni maluerint? Et hîc ante omnia cum Helmoldo (a) divinam admiramur providentiam, cujus nutu omnia in mundanis geri vel soli Plato (b) ac Seneca, (c) Gentiles utut Philosophi, edocere me potuerunt. Non quod DEus idololatriam hanc voluerit aut approbaverit, quem non posse peccata velle, iterum edoctus a Platone (d) sum; sed quod ex justo judicio, ut in eâ perseverarent cœci mortales, permiserit. Ipsa vero eorum obstinata erat pertinacia, cur tardiùs ad veræ salutis Auctorem ducerentur, ne dicam sese verterent. Hinc Helmoldus: (e) *Inter omnes autem borealium nationum populos, sola Slavorum provincia remansit cæteris durior, atque ad credendum tardior.* Et Evermotus: (f) *Inter omnes gentes septentrionales nulla unquam fuit durioris cervicis, & in cultu suo idololatrico contumacior, quam Slavica.* Duritiem hanc augebat auctoris omnis peccati, Diaboli malitia. Ut enim ex incrementis Regni Christi, suo decrementa enasci noviſſe poterat; ita omnes colligebat vires detinendi in suâ potestate, quos arctissimis vinculis constrinxerat. Fidelem ipsi operam præstabant mancipia ejus, qui idololatrico cultui præerant Sacerdotes. Narrat Andreas Abbas Bamberg: (g) quomodo nequam illi homines aureum Triglavi idolum apud Stettinenses furati abscondiderint, ut in sua reversuro Ottone Bamb. ad pristinum cultum populo rursus sistere possent. Idem (h) refert, quomodo duo idolorum Pontifices mortis intendere Ottoni laqueos conati sint, præmissâ militum manu, quæ redeuntem eum jugularet, jugulatique caput ipsis remitteret. De cujus sperato interitu sibi congratulati, triumphum ante victoriam canentes, convocatis amicis suis magno lætitiæ tripudio diem festum Diis suis agere præcipiebant, supremo ut in dignitate, sic in nequitiâ ita eos allo-

alloquente: *DEus noster, quem antiquus ille seductor exterminare conatus est, apparuit mihi, & sine ambiguitate caput Ottonis hodie amputandum mihi transmittendum intimavit.* Helmoldus (i) testis est, Christianos halecum capturæ gratiâ ad Rugiam insulam navibus appulisse, secum vehentes Sacerdotem, Godeschalcum nomine, salutis verbum prædicaturum. Quod cum Sacerdos Suanteviti comperisset, eum, accersitis illicò Rege populoque, nunciasse illis, irata valde esse Numina, nec aliter placari posse, nisi cruore Sacerdotis Christiani. Quem cum postularent Rugiani, Christianos fugâ vitæ suæ consulere oportuisse. Aliam Historiam apud Cramerum (k) ac Micrælium (l) legimus, de Sacerdote, idoli Geroviti ornatu induto, ac in silvâ se abscondente, ex quâ prætereuntes rusticos de non admittendo Christianismo ac rejiciendis Deastris suis admonuit ac obtestatus est. Qualia impedimenta ab id genus homuncionibus plura fuisse Christianismo posita, quis ambiget? Nec etiam minimam Christianæ Religioni remoram causata sunt varia bella, utpote quod Ludovici Pii Filii inter se, de Principatu contendentes, gerebant, de quo Helmoldus, (m) quod vocationem Gentium non modicè retardarit, affirmat; & mox accedens illud â Danis motum, quod populis in omni littore maris fide imbuendis magnum præstitisse impedimentum Crantzio (n) dicitur. Pertinet huc & illud, quod adversus Patrem Haraldum Filius Sueinotto movebat, Crantzio (o) iterum testante. Quod etiam de Ottonum Imperatorum in Italiâ gestis bellis judicandum erit, quibus impediti Gentium invigilare conversioni non potuerunt. Et ut alia silentio prætereamus, ea ipsa, quæ Nostris convertendis inferebantur, haud parvo obstaculo erant, quippe quorum non pauca, ne dicam plurima, sub Religionis quidem prætextu, re autem ipsâ ob regionem suscipiebantur. Non dissimulat id Helmoldus, (p) de Henrico Leone scribens: *In variis expeditionibus, quas adhuc adolescens in Slaviam profectus exercuit, nulla de Christianitate fuit mentio, sed tantum de pecuniâ.* Et quid de ipso, qui adhibebatur, conversionis modo dicemus? quem ejusmodi esse deprehendimus, ut eo nihil magis obstitisse Christianismo introducendo propagandoque judicandum sit. Carolo M. id maximæ laudi ducendum est, quod,

docente fundatione Episcopatus Bremensis apud Adamum Bremensem (q) & Crantzium, (r) addente plura testimonia Arnkielio, (s) universam Saxoniam bello devictam ac baptizatam pristinâ libertate donavit, & ab omni solvit censu, modo Ecclesiæ cum Sacerdotibus ex reditibus conservarentur. Idque ideò, veluti Helmoldus (t) addit, *ne fortè servitiis aut tributis prægravati, ad rebellionis necessitatem & paganismi errores impellerentur.* At eum sequentes erga Nostros longe aliter. Armis enim non solùm res agebatur, sed eò tendebant, ut omni libertate populũ, eandem sanguine suo redimere consuetum, defraudarent, Tributaq; ab eo exigerent omnem proventum redituum Terrarum multùm supe rantia. Inde Nostri toties, quoties occasionem sibi faventem exsurgere videbant jugum excutere nitebantur, repulso simul Christianismo, cui quicquid miseriarum ipsis obveniebat adscribendum pars arbitrabantur, pars solos exactores iniquos ac plus justo graves execrationi habebant. Tot inde enatæ Historicis sunt avaritiæ Saxonicæ accusationes, quæ locis allegatis apud Adamum Bremensem, (u) Helmoldum, (x) Crantzium, (y) Auctorem incertum Chronici Slavorum, (z) Auctorem Hist. Archi-Episcoporum Bremens: (aa) ac Evermotum (bb) evolvi, cui volupe est, possunt. Præ cæteris Bernhardus Saxo diram exercens iniquitatem in hanc gentem, revolutionibus ac contemtui Religionis Christianæ ansam dedisse legitur, quâ meruit, ut sequens ei positum apud Büntingium (cc) Epitaphium sit:

Chur-Fürst war ich im Land zu Sachsen/
Der Geitz war gantz in mich gewachsen
Die Wenden schetzt ich so vorwar/
Daß sie den Christen Glauben gar
Verliessen und verkehrten sich/ etc.

Ecce igitur, quomodo remoras Christianæ Religioni ac impedimenta iniecerint illi ipsi, quos eandem omni meliore conatu ac studio promovere decebat.

(a) Chron. Slav. Lib. I. Cap. XVI. (b) Lib. X. de LL. (c) Lib. de Providentia integ. (d) l. c. (e) l. c. Cap. VI. (f) Chron. Episc. Aldenb. ab init. (g) Vita S. Ottonis Lib. II. Cap. XIII (h) Lib III. Cap. XX. (i) Lib. II. Chron. Slav. Cap. XII. [k] Pomm. Kirchen-Chron. Lib. I. Cap. XXXI. [l] Lib. II. Chron. Pom. §. 69. [m] Lib. I. Cap. IV. [n] Lib. II. Vand. Cap. XXV. [o] l. c. Cap. XXXIII. [p] l. c. Cap. LXVIII [q] Lib. I. Hist. Eccles. Cap. X. [r] Lib. II. Saxon. Cap. XV. [s] Cimbr. Heyden-

Bekeh-

Bekehrung Lib. III. Cap. III. §. 15. [t] l. c. Cap. III. [u] Lib. II. Hist. Eccles. Cap. 32. 33. [x] Lib. I. Chron. Slav. Cap. 13, 16, 18, 19, 21, 25. (y) Lib. II. Vand. Cap. 41, 43. Lib. III. Cap. 6, 28. Metrop. Lib. III. Cap. 39, 41, 43, 46, 51. Lib. IV. Cap. 1, 22. (z) Cap. XIII. (aa) Vita Bezelini Cap. XVII. (bb) l. c. Vitis Egvvardi, Bennonis, & Meigneri (cc) Braunschweig-und Lüneburg. Chron. Part. II. p. 8.

§. XXXVI.

De ceteto, non absre erit, si idolorum Mecklenburgensium eversionem pauciſſimis ediſſeruero. Præterire licebit Teutanem cum aliis, quos communes olim cum ceteris Germaniæ populis habuere Wandali, terrarum harum incolæ primi. Eorum namque abrogationem, saltem ex parte, successive jam tum contigisse, forsan haud vanè conjectaverim, quando emigrantibus Vandalis, ingruentes in has oras Wendi invaluere. Attendenda potius sunt propria tractus hujus idola. Swantevitum itaque quod attinet, ejus ruina An. 1168. ciciter contigit, quando â Waldemaro I. Danorum Rege in Rugianos suscepta expeditio est. Rem, ut gesta, enarrat Helmoldus (a) breviter: *Rex fecit produci simulacrum illud antiquissimum Zwante vith, quod colebatur ab omni natione Slavorum, & jussit mitti funem in collum ejus, & trahi per medium in oculis Slavorum, & frustatim concisum in ignem mitti. Et destruxit fanum cum omni religione suâ, & erarium locuples diripuit.* Plures autem easque specialiores circumstantias qui legere avet, Saxonem Grammaticum, (b) Crantzium, (c) atque Cramerum, (d) evolvat. Radegastum, saltem in urbe Rhetrâ qui stabat, Ottonis M. tempore An. 960. vel ut alii calculum ponunt 957. eversum reperio. Hic enim Imperator una cum Gerone Marchione Brandenburgensium Slavos Imperium turbantes cruento prælio vincebat. Et quoniam Rhetarii agmen quasi inter eos ducebant, ideò & in illos potissimùm indignationem converterat suam, quam, Metropolin ipsorum Rhetram ruinæ dando ac idolum aufferendo, efficacissimè exequebatur. Testatur id Micrælius (e) verbis: Hiedurch ward der Pommeren/ und vornemlich der Redarier Macht sehr geschwechet/ insonderheit weil ihre Haupt-Stadt Rethra gantz verstöret / des Radegastes berühmter Tempel darinnen im Grund gebrochen / das Götzen-Bilde/ so von tichtem Golde gemachet war / heraus genommen / und die Vornehmbsten des Adels erschlagen und verderbet wurden. Neque improbabile est, remotum esse eâ tempestate id idoli etiam à Meck-

lenburgo civitate, ubi tum templum cum cœnobio conditum supra (f) relatum est. Ast quia, ut canis ad vomitum, non semel, sed iterum atque sæpius ad idololatriam rediere, facili conjecturâ assequimur, posteà temporis Radegasti cultum sensim iterum invaluisse, usque ad totale Mecklenburgi excidium, & quando, ejuratis idolis omnibus, fidem Christi pure amplexi Nostri sunt. Quâ de re laudatus sæpius Cel. Dn. D. Masius (g) videndus erit. Prono sive Prove An. 1155. luco ejus conciso, incendio consumtus est. Audiamus Helmoldum, (h) qui non ἀυτόπτης solummodo adstitit testis, sed ipsemet quoque admovit manum, processum hunc ita describentem: *Venientibus nobis ad nemus illud*, scilicet Prononi sacrum, quod Bangerto (i) ex Danekwerthio (k) ad mare, post villam Putloß / in loco, qui hodie Wienbergen nuncupatur, situm fuisse putatur; *& profanationis locum, adhortatus est nos Episcopus*, Geroldus, *ut valenter accederemus ad destruendum lucum. Ipse quoque desiliens equo contrivit de conto insignes portarum frondes, & ingressi atrium, omnia septa atrii congessimus circum sacras illas arbores & de strue lignorum, injecto igne, fecimus Pyram, non tamen sine metu, ne fortè tumultu incolarum obrueremur, sed divinitus protecti sumus.* Repetit eadem Petersemus (l) his verbis: Bischoff Geroldus hat die Wenden in Wagerlande beredet / daß sie die Abgötterey verlassen haben / und den Glauben an Christum angenommen. Er hat den Abgott Prononem bey Aldenburg verstöret / die Eichenbewm und Garten Ihm geheiliget / mit eigener Hand helffen abhauen / niederbrechen und verbrennen. De Sivæ statuâ quando & â quo destructa sit, apud Scriptores, quorum mihi copia facta, specialia quædam invenire haud licuit. Interim, Gottschalci Regis tempore, quo Razeburgi, ubi primaria ejus sedes fuerat, Episcopatus primùm instituebatur, idolum hoc rejectum conjicio. Veruntamen, ut reliqua terrarum harum idololatria pristino suo vigori deinceps restituta fuit, ita & procul dubio Sivæ veneratio ac cultus. Postea vero Henricum Leonem, instaurato Ratzeburgensi Episcopatu, eodem in monte, quo culta fuit Siva, dicitur hodie der Palmberg / templum Cathedrale ædificare curasse, Bangertus, (m) Masiusque (n) referunt. Tunc igitur temporis statua Sivæ funditus destructa sit & eversa, oportet. Sic tandem denique per varios casus,

sus, per tot discrimina rerum, de idolis idololatricoque cultu Mecklenburgensium

CONCLAMATUM EST.

Concludimus igitur verbis Bangerti: (o) *Gratis nunc animis summam DEi deprædicamus benignitatem, qui tandem profractæ gentis misertus gratiâ suâ divinâ efferos animos emollivit, & cæcitati ereptos atque luce Evangelii illuminatos Christi Regno asseruit.*

Sit Nomen Domini in secula Benedictum!

(a) Lib. II. Chron. Slavor. Cap. XII. (b) Lib. XIII. Hist. Dan. Vita Waldemari I. (c) Lib. V. Vand. Cap. XIV. (d) Pomm. Kirchen-Chron. Lib. I. Cap. XLVIII. (e) im Alten Pommerlande Lib. II. §. 39. p. 182. (f) §. 29. (g) Antiquit. Mecklenb. Cap. VII. (h) Chron. Slav. Lib. I. Cap. LXXXIII. (i) Not. ad Cap. LXXXIII. Lib. I. Chron. Slav. Helmold (k) Part. III. Cap. VIII. (l) Holsten-Chron. Part. II. f. 42. (m) Not. ad Helm. Chron. Slav. Lib. I. Cap. LII. (n) l. c. Cap. II. §. 6. (o) Not. ad Helmold. Lib. I. Chron. Slav. Cap. XI. p. 31.

Ad Clar:

DN. OLDENBURGIUM.

NOn videtur quidquam cive probo & cordato dignius esse, quam in annales patriæ suæ inquirere, quæque sint omnium morum institutorumque patriorum origines & incrementa, sollicitâ curâ indagare. Inprimis perquam jucundum est cognoscere, quî ex gentili religione Christiana pietas & inter quas luctas difficultatesque eluctata olim fuerit, ex quam tenui initio ad majorem subinde perfectionem processerit, quibus præsidiis à DEO varias inter hostium persecutiones conservata fuerit, quo in fecilitatis puritatisque flore hodie consistat? Hæc dum de Mecklenburgicâ hac terrâ nostrâ enarras, OLDENBURGI, cupidissimum scripti Tui lectorem consequeris. Cumque ea, quæ nos doces, pro publicâ quoque cathedrâ defendere paratus

ratus sis, omnes Te laudant, & benè Tibi precantur. Ego verò DEum rogo, ut Studiis Tuis majora perpetuò incrementa adiiciat, ut aliquando fructum pariant patriæ Tuæ, id quod jam nobis spondent, nequaquam contemnendum! Scr. ipsis Augusti Calendis M DCC IIX.

Jo. Fecht, D.



Sic, *OLDENBURGI* Juvenis Doctissime, recte
Conciliatur opus, conciliantur opes.
Non satis est, semper Doctos audire; juvabit
Hoc etiam, Doctis sistere verba Viris,
Atque parare suis quoque viribus integra scripta,
Etsi Doctorum præsit amica manus.
Qui nunquam malè scribit, is haud benè scripserit unquam:
Sit grave principium, finis amatus erit.
Hoc concinnat opes, animo doctrina paratur,
Ingenio virtus, judicioque vigor,
Eloquioque simul longè perfectior usus,
Et tandem, quidquid vita requirit opum.
Sic spartæ veniunt Domino pia cœpta regente,
Sic sportæ veniunt non sine dante DEO.
Sic *Pater egregius Nato* gaudebit, & ipse
Filius egregius laus erit ampla *Patris*.
Gratulor hoc ausum *Patri*, qui tempore dudum
Præterito *nostri Patris amicus* erat:
Ac tibi grator opus doctum, *Carissime Fili*,
Perge, Tuique stude vincere fata Patris.

Nob. & Clariss. DN. OLDENBURGIO, de piâ politâque materiâ Disputaturo lmque gratulatur

Joh. Petr. Grûnenbergius, D.
Cons. Consist. *P. P.* & Superintendens.

Nobi-

Nobiliſſimo atque Doctiſſimo

DN. OLDENBURGIO,

Amico ſuo æſtumatiſſimo & Auditori hactenus perinduſtrio atque Dilectiſſimo.

S. P. P.

ALBERTUS JOACHIMUS de KRAKEVITZ,

Th. D. & P. P.

INgens eſt beneficium, quod in ipſa nati ſimus Eccleſia Chriſtiana & quam primum hanc aſpeximus lucem, mediante Regenerationis lavacro, Chriſto, Capiti noſtro, inſiti ſimus. Id ipſum in memoriam Tibi revocans, laudabilem omnino ſuſcepiſti operam, quod Megapolenſium converſionem ad Chriſtianismum, docta quadam diſſertatione publicæ Commilitonum Tuorum disquiſitioni exponere decreveris. Quodnam quæſo *Chriſtiano* Tuo nomine dignius edere potuiſſes ſpecimen? Quo ipſo ſimul omnibus piis animabus abunde teſtaris, quod tempus tuum non otio turpi ſed negotioſo labore inſumpſeris & vitam geras ad ſanctiſſima Domini Tui præcepta optimè compoſitam. Quodſi ita perrexeris in virtutum optimarumque ſcientiarum ſtadio, egregius aliquando in vinea Domini evades operarius; quod ut fiat, animitus precor. Dabam d. 31. Julii anno 1708.

Nobi-

Nobilissimo atque Præclarè Docto

Respondenti meo

DN. JOAN. HENR. OLDENBURGIO.

QUod si de diligentiæ ac conquisitæ per eam eruditionis publicitùs edito specimine cuipiam Commilitonum meorum gratulatus unquam fui, Tibi sanè id multis de causis debeo animoque promptissimo præsto, Amicissime *OLDENBURGI*! Haud namque immemor vivo consuetudinis, quam coluere olim sine fuco Genitores nostri, Tuus, quem DEus Tibi servet, neusque jam ultra duo lustra inter Cœlites triumphans: Si igitur, quod arbitrio tantùm non omnium confirmatur, major est ac integerrimus, qui à Parentibus ad liberos propagatur, amoris affectus, facilè judicabis, non nisi animum sincerum ac amicitiæ integritatem Tibimet Te promittere à me posse. Et qui eo erga Te affectu sim, non tam trahit, quam cogit singularis illa, quâ qui Te necessitudine attingunt, excipere me sueverunt, humanitas, quâque me citra meritum meum prosequuntur, benevolentia. Verùm & Tu ipse eum Te semper exhibuisti, qui animo meo esses quam commendatissimus, quem à tot retrò annis & vel ex ephebis vix excedentem perspectum habui cognitumque. Imò intimè Te novisse mihi datum fuit, ex quo abs Optimo Parente tuo Academicorum tuorum Studiorum directio commissa mihi ac demandata fuit, ubi occasionis plus satis nactus sum inquirendi & in Studia & in reliquam vitam tuam. Talem autem Te ubique & semper offendi, quem probitas non infucata, mores nivei, modestia singularis, aliæque egregiæ virtutes ornant, ornatumque cunctis bonis faciunt gratum pariter atque commendatum. Conjuncta cum illis sororio, quod ajunt, vinculo in Te est in solidis Literarum Studiis tractandis diligentia indefessa, quam vel plures per horas singulis diebus, quibus à latere meo considere consueveras, hisce oculis vidi & admiratus sum, certus, tuo exemplo & alios fuisse excitatos, qui non perfunctoriè Studia sua tractarent, sed intima Scientiarum penetrare anniterentur, id quod felicissimo tuo, quod per DEI gratiam Tibi contigit, ingenio feliciter successit. Ita non attentum Te Auditorem conspexi solum, quando nunc Philosophicæ, nunc Philosophicæ, nunc Theologicæ proponerentur Prælectiones; sed & promptissimum Te semper exhibere solebas, quando vel ad interrogata respondendum, vel objectiones in exercitiis Disputatoriis solvendæ erant. Ideoque ab eo tempore inde augurari mihi licuit fore, ut olim Ecclesiæ Reique literariæ publicæ magno emolumento proximisque commodo futurus sis. Cumque nunc publicè etiam id declarare propositum Tibi habes, gratulor Tibi de exantlato, quem in conscribenda Dissertatione tua insumsisti prolixo labore, Divinum Numen enixissimè rogitans, ut non minùs in posterum gratiâ suâ Tibi clementer adesse, Studiisque tuis, quæ in Saxonicis Academiis ulteriùs urgere & augere propositum foves, largam largiri benedictionem velit. Servet etiam vitæ Auctor Optimum Parentem tuum, ut ipsemet aliquando speratos à Te fructus videat, causasque lætandi nanciscatur quam pluri mas. Me quod attinet, quidquid virium meæ concessum tenuitati est, qualibet occasione omne in tuum impendere commodum non detrectabo. Vale & rem tuam age quam felicissimè!

Tuus

ex animo

Ser. Rostoch. d. 13. August.
Anno 1708.

FR. ALB. ÆPINUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785/phys_0082
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785/phys_0086
DFG

Nobilissimo atque Doctissimo

DN. OLDENBURG

Amico suo æstumatissimo & Auditori hac
perindustrio atque Dilectissimo.

S. P. P.

ALBERTUS JOACHIM
de KRAKEVITZ.

Th. D. & P. P.

INgens est beneficium, quod in i
musEcclesiaChristiana & quam pr
aspeximus lucem, mediante Reg
lavacro, Christo, Capiti nostro
mus. Id ipsum in memoriam
cans, laudabilem omnino suscepi
quod Megapolensium conversionem ad Christian
eta quadam dissertatione publicæ Commilitonur
disquisitioni exponere decreveris· Quodnam q
stiano Tuo nomine dignius edere potuisses specir
ipso simul omnibus piis animabus abunde testaris,
pus tuum non otio turpi sed negotioso labore insu
vitam geras ad sanctissima Domini Tui præcep
compositam. Quodsi ita perrexeris in virtutur
rumque scientiarum stadio, egregius aliquando in v
ni evades operarius; quod ut fiat, animitus pre
bam d. 31. Julii anno 1708.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003429785/phys_0087
DFG